Christianæ instituti onis Liber, cõplectens Tractatum septem Sacramentorum, expositionem Symboli Apostolici, Orationis Dominicæ, & decem mandatorum Dei, æditus in Concilio Prouinciali Treuerensi.

Anno Iesu Christi M. D. XLIX.

Coloniæ, cum Gratia & Priuilegio Cæsareæ & Catholicæ Maiestatis, excudebat Iaspar Gennepæus.

Anno M. D. XLIX.

De Sacramentis noui

VAE LEGIS.

CATHOLICA fide certum est, hominem primitus à Deo cõditum, nullo quidem morbo uel uulnere uitiatum fuisse aut debilitatum, sed tamen in eo statu constitutũ, ut posset ab integritate et innocentia sua deficere: id quod uenenati serpẽtis astutia procuratũ est, ut simul cum peccato peccandi pœnitas, animæ debilitas, & moriendi necessitas, in omnem Adæ posteritatem deriuaretur. Gen. 3. Sapi. 2.

Sed Deus nostri misertus, nos ipsius beneficio conditos, nostro uitio deprauatos, per filiũsuũ reparare dignatus est, monstratis remedijs per quę à tantis malis liberemur: Itaq; declaratio diuinorum sermonum intellectum obscuratũ illuminat, fides corruptam rationem emendat: & sicuti olim pomi esus mandato Dei uetitus, æternum exitium attulit, ita nũc sacramentorum usus uerbo Dei consentaneus, ad uitam æternam restaurat, & præparat. Ephe. 2. Psal. 18.

Necessitatem uero utendi sacramentis nostræ carnis imbecillitas facit: nam anima primi hominis, quæ uerbo Dei, qui spiritus est et uita, acquiescere noluit, sed ad carnem potius deflexit per crassa quædam & sensibilia recuperandæ innocentię necessitatem habere cœpit, facta infirma & carnalis, donec per uisibilia ad cœlestia & inuisibilia proficiat. alioqui Deus etiam sine sacramentis (quæ in præsentia nihil aliud sunt, quam uisibilia et efficacia signa inuisibilis gratiæ dei) hominem à peccatis explicare, uiuificare & corroborare, haud dubie potuit. Io. 4. et 6 Sacramẽtũ quid.

Sed cum nunc his sacris signis Deus uirtutem suam peculiariter alligauerit, nemo citra præsentaneum periculum salutis suæ hæc signa negligit, cum data opportunitate uti possit. Ac ne quis causaretur horum ma-

Materia Sacramẽti.

rum materiam inuentu difficilem esse, Deus eam expositissimam & q̃ maxime uulgarem esse uoluit. Quid enim communius aqua, pane, uino & oleo, quorum usus quotidianus est? Sed ista ad hoc efficiendum cui in sacramentis destinata sunt, exse uim nullam habent, nisi eam ex passione Christi per uerbum Dei & fidem nostram attrahant.

De Sacramento Bai

PTISMI.

Baptismus uulgo per similitudinem nec minus uere ostiũ dicitur, per quod ingredimur in ecclesiam, & populo Dei associamur. Hoc sacramentum omnibus est necessarium, etiam infantibus: siquidem dicente apostolo, Omnes nascimur filij iræ. Vnde & seruator noster ait: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest intrare regnũ cœlorum. Cum uero Christus dicat: Sinite paruulos uenire ad me, nõ debemus eos arcere à Baptismo, quo minus per eum ad Christum ueniant, sed sicut aliorum pedibus ad Christum uenerunt, & alienis manibus oblati sunt, sic etiam aliena fide, utpote susceptorum & totius ecclesiæ, Deo per Baptismum appropinquare possunt: quandoquidem etiam alieno peccato, quod originale uocamus, irretiti sunt: & quemadmodum Chananææ mulierculæ petitio & fides pro filia ualuit, ita & fides ecclesiæ pro infantibus, quos ad Baptisma Christo offert, ualitura est, non minus quam Baiulorum fides pro paralityco ualuit.

Baptismus infãtium. Eph. 2. Ioan 3. Mar. 10. Mat. 15. Matt. 9.

Qui uero rationis usum habent, propria fide accedere debent, ac sibi, quod uerissimum est, persuadere, huius sacramenti efficacia se ab originali peccato & omnibus alijs delictis ablui, corpori Christi inseri, filios & hæredes Dei & cohæredes Christi fieri, si quemadmodũ oportet syncera fide, uera peccatorum pœnitudine & certa spe ueniæ, ad Baptisma accesserint: quod si ore quidem confitentur, cæterum corde non sicut oportet, credunt, aut dolent, aut sperant, corpori quidem foris aqua adhibetur, anima uero intus non abluetur. Character tamen huius initerabilis sacramẽti permanebit, ut denuo baptizari non oporteat,

Efficacia baptismi

teat,ſed duntaxat quod in fide,pœnitentia, aut ſpe peccatum eſt,corrigetur.

Huius Sacramenti in ueteri lege typus fuit,circunciſio, ut quemadmodum anima pueri,cuius præputium non erat prçciſum, delebatur, ne eſſet in populo Dei,ita nunc nomina omnium eorum deleantur e libro uiuentium,qui baptizati non ſunt. Et ut circũcifio ſignum erat fœderis,quod pepigit Deus cum Abraham & poſteris eius,ut illi eſſent ipſius populus,& ipſe illorum Deus in perpetuum,ſic Baptiſmus ſignum pacti,quod cum Deo paciſcimur, quo diaboli dominium abiuramus,et nos Deo mancipamus, parati in omnibus filium eius Ieſum Chriſtum audire & obedire,in quo illi bene complacuit.Hic obiter annotandum eſt, quod infantes octo dierum, quanquã illius fœderis ignari fuerint, tamen circũcidi debuerint,itidẽ pueros noſtros recte baptizari, quanuis myſteria noſtræ fidei nondum intelligant, nec intelligere poſſint. Quin & mare rubrum præfert typum huius ſacramenti. Vt enim per illud populus Dei incolumis euaſit, et Pharao impius & incredulus, cum toto exercitu in eo periit:ſic in Baptiſmo ſubmergitur uetus Adã, & emergit nouus qui factus eſt in animam uiuificantem,nempe Chriſtus,quẽ quilibet rite baptizatus induit. Quotquot enim,ut Paulus teſtatur,in Chriſto baptizantur,Chriſtum induunt:etiam nubes (ut ſcripſit Apoſtolus) qua per diem populus Iſrael in deſerto protegebatur, Baptiſmum adumbrauit. Sed ut huius ſacramenti figuræ in antiqua lege fuerunt,ita uiciſſim idem ſacramentum in noua lege figura eſt,repreſentans mortem,ſepulturam,& reſurrectionẽ domini. In Baptiſmo enim peccato morimur,& ut Apoſtolus dicit,Chriſto conſepelimur, ut cum eodem in nouitate uitæ ambulemus, expoliantes ueterem hominem cum actibus ſuis.

Figuræ Baptiſmi. Gen. 17. Ibidem. Matt. 3. Exo. 15. 1.Cor.15 Gala.3 1.Co.10. Exod.13 Bapt ſ. figura. Rom.6. Colo.2

Hic ſi quis miretur,qui fiat, ut cum peccata omnia per Baptiſmum tollantur,tamen perpetua quędam concupiſcentia ſeu pronitas, in nobis relinquatur & hæreat,quam ſcholæ fomitem uocant,unde non aliter peccatum oritur,quam ex nube pluuia,huic ſatis ſit,quod quemadmodum calor ſolis non modicus nubem extenuat uel exiccat, ne pluuiam generet,ita copioſa gratia & charitas Dei impetrata,hũc peccandi appetitum comprimat & reſtinguat, ne poſt Baptiſmũ ſi abſit conſenſus,

Lex peccati.

ſenſus pro peccato nobis imputetur?

Minister. Materia ſiue elementũ.

Qui uero adminiſtrat hoc ſacramentum, cum non in ſuo, ſed Dei patris, filij, & ſpiritus ſancti nomine & aqua ſimplici, quæ huius ſacramenti materia eſt, baptizet, gratiam baptizati, ſi bonus eſt, non auget, neq; ſi malus eſt, imminuit.

Ceremoniæ baptiſmi.

Ceremoniæ uero & ſigna alia, quæ in hoc ſacramẽto, dum confertur ſolemniter adhibẽtur, antiquitus in Eccleſia obſeruata ſunt, ut liquet ex Tertullia. & Cęleſt. aliiſq; ueteribus ſcriptoribus, quæ quid ſibi uelint, aut ſignificent, ſacerdos oportuno tempore pro concione docebit. Cũ enim magni aliquid innuant, illi qui baptizatur, in primis refert ſcire quem uſum habeant: quo ignorato, quid ſunt aliud, quam egregij colores in tenebris poſiti?

Candida ueſtis.

Quare dabunt operam parrochi & alij concionatores, ut quam luculentiſſime populo hæc myſtica ſigna explanent. Veluti quod candida ueſtis, quæ baptizato traditur, indiciũ habeat eius, quod factum eſt, & fieri oportet, ſiquidem totus candidus e fonte Baptiſmatis emerſit, & eum candorem nulla parte contaminatum, uſq; ad finem uitæ ſeruare debet.

vnctio inter ſcapulas. Mat. 11.

Sic & unctio inter ſcapulas facta, iugum domini in humeros ſublatum, cum fortitudine adſuſtinendum ſignificat.

Sal.

Ita ſale pueri lingua tingitur, quod argumentum eſt diuinæ ſapientiæ, quæ hominem aduerſus putores omnium uitiorum optime præſeruat, ſicut ſal a putredine corpora defendit.

vnctio in capite Pſal. 44

Oleum uertici capitis illitum, ſignificationẽ habet qualiſcunq; communionis cum Chriſto, qui ſolus uere unctus eſt oleo lętitiæ præ participibus ſuis.

Narium & auriũ apertio. Marc. 7.

Quod digitis aures & nares aperiuntur, exemplo Chriſti fit, qui eo geſtu aures ſurdi, & linguam muti reſoluit, quo facto locutus eſt, non quomodocunque, ſed recte. Itidem baptizatus linguam habere debet expeditam ad confitendum nomini domini, non ad ſtultiloquium aut obtrectationem, aures ad audiendum uerbum Dei ſemper apertas, nõ ad fabulas aut alia nocentiora.

Candela ardens.

Quod cereus ardens ſuſceptoribus loco pueri in manũ datur, hoc ſibi uult, quod iam adiunctus ſit illis ſeruis, de quibus euangelica parabola

bola loquitur, quod lumbos prę cinctos & lucernas ardentes in manibus habeant, expectantes dominum suũ, quoad reuertatur à nuptijs, aut quod luce & claritate bonorum operum coram hominibus, dum uiuit, refulgere debeat.

Nomen etiam puero cum baptizatur, imponitur, iuxta morẽ militarem, quod tamẽ nulli absurdum uideri debet, cum & Episcopus militare uocabulum sit, sicut & symbolum & sacramentum, & Iob dicat, uitam hominis militiã esse super terram. Et Christus apud Lucam à regibus inter se, inęqualibus tamẽ copijs, periculose dimicaturis, similitudinẽ sumit, cũ suos discipulos docere uult, ut uel non profiteãtur fidem, uel semel professi, non temere deficiant. Quamobrem ut imperatorẽ nomen dat miles, seq; sacramento obstringit & inauctoratur ad subeundum omnia pro illo certamina & pericula, itidẽ hic fit. Nam Christo imperatori quisquis baptizatur, se per omnem uitam militaturum nullis deterrendũ periculis, nullis dimouẽdũ afflictionibus, pmittit. Nomen. Iob 7. Luc. 14.

Denique quęcunq; ceremonię circa hoc sacramentum adhibentur, ociosę non sunt, sed plenę mysterijs, quarum existimatio apud populum crescet, citius quam euilescet, si istarum omnium sensum, uim, & usum, quam penitissime intellexerit, quod opera boni & prudentis concionatoris futurum confidimus.

De Sacramento Confirmationis.

Ipsa Confirmationis uox inspecta, clare ostendit quid hoc Sacramento efficiatur. Nimirum ut homo confirmetur, ac spirituali robore munitur contra hostes, quos multos Christiani iugiter experiuntur. Quare ut in Baptismate anima hominis uitam & innocentiam recuperat, sanitatem & integritatem recipit, ita per hoc Sacramentum ualidior redditur, ut carni, mũdo, & diabolo resistere possit, quo alioqui nõ multũ opus esset, si nulla res nos magnopere postea sollicitaret ad deficiendũ à gratia, quam in Baptismo consecuti sumus. Nũc cum tot vis cõfirmatiõis.

impugnentur etiam baptizati confirmatione, tanquam scuto protegendi, sunt sicut & populus Israhel, quamuis per mare rubrum euasisset Pharaonis tyrannidem, tamen in deserto columna ignis & interpositione nubis protectus & adiutus est, ut itineris illius longissimã molestiam perferre posset.

Assertio Confirmationis

Actu. 8. Ioan. 13.

Cæterum hoc Sacramentum præter testificationem ecclesiæ catholicę, euidens in scripturis testimonium habet, et quasi fundamentum cui innititur. In actis enim legimus, quod Apostoli cum audissent Samariam recepisse uerbum Dei, miserunt illuc Petrum & Ioannem, qui orantes imponebant manus illis, qui baptizati fuerant in nomine Iesu, & dabãt spiritum sanctum. Hic multos ante baptizatos fuisse legimus, quos

Lucæ 14.

postea spiritu sancto confirmandos esse, per impositionem manuum Apostoli iudicauerunt. Et seruator noster in ultima cœna de discipulis suis testatus est, quod loti & mundi essent, quibus tamen post resurrectionem apud Lucam dicit, Ego, inquiens, mittam promissum patris

Actu. 2.

mei in uos. Vos autem sedete in ciuitate, quoad induamini uirtute exalto. Id quod in die Pentecostes exhibitum est, quo per spiritum sanctum ita confirmati sunt, ut qui antea metu Iudæorum exanimati latitabant mussantes, palam in lumine & apud tumultuantẽ et reclamantem turbam prædicarent Iesum Crucifixum. Ingens hoc & admirabile robur fuit, sed cuius & nos participes fieri possumus per Sacramẽtum Confirmationis, ut charitas Dei diffundatur in cordibus nostris,

Rom. 8.

per spiritũ sanctũ, qui nos certos facit, quod neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neq; principatus, neq; potestates, neq; instãtia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profunditas, neq; ulla creatura alia poterit nos separare a dilectione Dei, quę est in Christo Iesu domino nostro.

Chrysma.

Et quanquam nunc conspicuus non est, ut olim Dei spiritus descendens in eos qui confirmantur, tamen arcana uirtute in corda penetrat, et parem largitur fortitudinem, non minus potẽs aut liberalis, sed

1. Pet. 2.

minus quam olim conspicabilis. Tum quoq; nunc non simpliciter impositа manu, sed addito Chrismate fit confirmatio, quod ex oleo oliuę & balsamo, cuius fragrãtissimus odor est, temperatur & miscetur, nõ

Materia

citra singulare mysterium. Et licet in ueteri lege tantum sacerdotes & reges eo ungerentur, iam tamen hoc Chrisma communicabile est omnibus Christianis, quos Petrus Apostolus genus electũ & regale sacerdotium

um appellat, eo quod omnes debeamus ſpiritualia ſacrificia regi noſtro Chriſto & Deo ſemper offerre.

De materia Cõfirmationis, Chriſmate, uidelicet, eiuſq; annua e[illegible]cratione ita Fabianus loquitur: Hęc a ſanctis Apoſtolis, & eorũ ſucceſſoribus accepimus, uobiſq; tenenda mandamus. Hæc ſancta Romana eccleſia & Antiochena a tempore Apoſtolorum cuſtodit. Hæc Hieroſolymorum & Epheſianorum tenet, in quibus Apoſtoli præſidentes docuerunt: Hactenus Fabianus. Conuenienter autem poſtquam uiſibile ſignum uenientis Spiritus ſancti apparere deſiit, Chriſma in locũ eius ſurrogatum eſt, ut & oleum admoneat nos uirtutis ſpiritualia, & balſami fragrantia doceat, ut bonus odor Deo ſimus in omni loco. frõti autem illud in modum crucis illinitur, cum alioqui baptiſma ſuſcipientibus in uertice linatur, ſed ibi admonentur, quod Chriſtiani fiant, & Chriſtum qui uere unctus eſt, præ conſortibus ſuis, pro capite habere debeãt. Hic ut in chriſtianiſmo fortiter perſeuerent, nõ cedentes aduerſario, aut terga uertentes, ſed conſtanter, ac uelut a fronte pugnantes, ut contra omnia Deo inimica tandem uictores euadant.

[illegible]ria

Myſterium chriſmatis.

2. Cor. 2

Verba autem per quæ hoc ſacramentum confertur, iſta ſunt: Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine patris & filij, & ſpiritus ſancti. His accedunt ſacræ orationes pro iis, qui hoc ſacramentum ſuſcipiunt, inter quas hæc præcipua eſt, quam Epiſcopus peculiaris miniſter huius ſacramenti, hoc modo recitat:

verbum cõfirmationis.

Immitte in eum ſpiritum ſanctum tuum ſeptiformis gratiæ tuæ, paracletum de cœlis, ſpiritum ſapientiæ & intellectus, ſpiritum conſilij & fortitudinis, ſpiritum ſcientiæ & pietatis, & imple eum ſpiritu timoris tui, & ſigna eum ſignaculo ſanctæ crucis propitiatus, & ſpirit ſanctum tuum non amittat in uitam æternam.

Miniſter Eſaiæ 2.

Hanc precationem ideo aſcribendam putauimus, ut confirmationem ambientes, intelligant, quantum bonorũ pro ſe a Deo per preſbyterum non inefficaciter petatur, quo impetrato, perfectus redditur Chriſtianus, & ad omne opus bonũ inſtructus. Propter quod ſcripſiſſe uidetur Dionyſius, Confirmationis ſacramẽtum ab Apoſtolis teloten appellatum, quaſi dicas conſummationẽ & perfectionem omnium uirtutum ſpiritualium.

Septē dona ſpiritus ſancti Sapiētia Pſal. 26 Mat. 6. Matt. Intellectio. Pſal. 118

Siquidem (ut breuiter has ſpirituſſancti dotes obſcurius deſignatas paulo clarius explicemus) ſapientia repoſita eſt in uoluntate & ſtudio proſequendi æterna, cœleſtia & diuina, quæ hominem nunquam fallunt aut deſtituunt. Hoc affectu præditus fuit, qui dixit: Vnam petij a domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo domini omnibus diebus uitæ meæ. Huic multum diſſimiles ſunt, qui ſibi theſaurizare cupiunt in terra, & domum ædificare in arena, homines animales, non percipientes hoc donum ſpiritus.

Alterum donum eſt intellectus, quem poſtulauit Propheta, cum diceret: Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua domine. Quomodo aũt hunc intellectũ ſapiētia ſeu bonus affectus ꝓcedat, ſcire poſſumus ex eo quod eodē pſalmo idē propheta poſtulauit a deo ſibi legem poni, hoc eſt, uiam iuſtificationum indicari, ut exquirat eam ſemper: ſapiētiæ erat hoc petere & affectare: intellectus uero ſcire, qua gradiendum eſſet ad illas iuſtificationes. hoc ordine & alibi ſcriptura

Deut. 32. Conſilium.

ſatuis prius ſapientiam, poſterius intellectum optat. Vtinam, inquiens, ſaperent & intelligerent, & nouiſſima prouiderent.

Tertiũ eſt conſiliũ, in q̃ ſapientia & intellectus iungũtur. ſapere eñ eſt, ſummũ bonũ cupere: intelligere aũt, hoc ipſũ uideret conſulere uero, eſt certo et infallibili iudicio illud exquirere: qui eñ hoc facit, optime ſibi cõſulit. Quare conſiliũ, hoc loco eſt iudiciũ: quo cũ ſyncera conſcientia ſtatuimus, qd adhibendũ aut negligẽdũ ſit, donec in uia ſumus & ad uitã ęternã cõtẽdimus, nuſquam ad dexteram uel ad ſiniſtrã deflectentes.

Fortitudo.

Vt aũt recta cupientes, uidentes, & ſine errore aut reluctatione conſcientiæ exquirentes ad finẽ perueniamus, opus eſt inter tot mala occurrentia magno robore. Quapropter quartum donum ſpirituſſancti eſt fortitudo, qua confirmati, nec proſperitatibus huius mundi emollimur, nec afflictionibus frangimur.

Sciētia. Phil. 2.

Quintum eſt ſcientia ſiue diſciplina, qua inſtructi, per ſimplicitatẽ, & prudentiam, ita ambulamus in medio nationis prauæ & infirmiorum, qui nondum in Chriſto fortes factiſunt, ut nec ipſi nos peruerti ſinamus, neq; alijs ſcandali occaſionem præbeamus: de quo genere ſcientiæ

entiæ prudenter adhibendo, Apostolus in priore ad Corinthios octauo capite loquitur. & in libro sapientiæ de iusto legimus, qui a domino per uias rectas deducitur, cui regnum Dei ostensum est, & data scientia sanctorum, siue sanctis conueniens & necessaria: sine qua ne iusti quidem homines sanctitatem suam inuiolatam custodire, aut tueri possunt. Nec enim sanctus omnino est, qui sua scientia tam inconsiderate utitur, ut propter locum, uestem, potum, aut cibum, subuertat fratrem infirmum, pro quo mortuus est Christus. Sapi. 10

Sextum est pietas, quæ & lege naturæ & mandato Dei debetur iis, a quibus iuxta carnem uitæ initium accepimus: grauissime enim errant, qui usquam fas sibi putant, sub prætextu amoris, & honoris diuini contumelia parentes afficere, aut necessarium officium iis indigentibus denegare. hoc enim uere est affectum charitatis abiicere, contra præceptum apostoli. Pullulat autem hæc pietas ex ea scientia, quæ hominem in omnibus ordinate ambulare docet. Pietas.

Septimum est timor domini sanctus, permanens in seculum seculi, non ille seruilis quem perfecta charitas foras mittit, tametsi lex antiqua permittere uideatur, ut qui Deum, quod bonus sit, amare nondum sustinet, saltem quia potens est, timeat. Et satius est alioqui Dei uindictam metuere, eiusque respectu ueritatem constanter profiteri, quam nec bonitate eius adamata, aut indignatione formidata, solum uim & tormenta hominum exhorrescere, & horum formidine ueritatis professionem deserere. De huiusmodi timore etiam ad discipulos suos, sed adhuc magna ex parte carnales, seruator noster loquitur: Nolite, inquiens, timere eos, qui tantum corpus, non etiam animam occidere possunt: sed eum timete, qui postquam corpus occiderit, potestatem habet & corpus & animam proiiciendi in gehennam. Tim. 1 dñi. 1. Io. 4.

Hinc Deus apud Malachiam: Si dominus, inquit, ego sum, ubi timor meus est? si pater ubi honor meus? Vt ergo quosdam uerem offendere, nõ ꝙd mali aliquid ab iis metuamus, sed solum ne bono ipsorũ, suauissimo uidelicet consortio aut fauor spoliemur: ita cum sancto timore Dei afflati sumus, nõ hoc aio præceptis eius obedimus Mala. 1. Matt. 29

ut ultionem & pœnam duntaxat effugiamus, (quod facere uidemus ſeruos, qui dominis ſuis ſollicite obſequuntur, non quod ab illis aliquã benignitatem ſperent, etiam cum omnia fecerint, ſed ne compedes, carceres, & flagra incurrant.) uerum ut præmio quoq; æterno, hoc eſt, ipſo Deo, qui merces noſtra eſt, potiamur, eoq; fine fine fruamur.

His itaq; donis ſpiritualibus cumulatus, & hæc myſtica panoplia inſtructus, aduerſus omnes ſatanæ inſultus, & mundi huius in maligno poſiti fallaciſſimas inſidias, & lubricæ carnis nocẽtiſsimas illecebras inuictus & immotus perſiſtet, dum quæ ſancta & iuſta ſunt expetit, eaq; Deo illuminante cognoſcit, & recto iudicio gnauiter exquirit, fortiter gradiens in uiam domini, neminem quãtum in ſe eſt, per craſſam ignorantiam offendens, ſimul naturalem & diuinum charitatis affectum in corde retinens cum caſto timore domini.

Poſtquam igitur quæ ad huius ſacramenti adminiſtrationem pertinent, rite abſoluta ſunt, tandem maxilla confirmati, plana confirmantis manũ cẽditur, uel ut ſuſcepti ſacramenti memor ſit, uel ut per hoc Chriſtianæ tolerantiæ commonefiat, quæ dextram maxillam percutienti obuertit alteram.

De Sacramento Eucharistiae.

Dignitas Eucharistiæ.

Cum omnis ſacramentorum uirtus ex paſſione Chriſti oriatur, & totum illud corpus, quod pro uita totius mundi in mortem traditum eſt, ſub hoc ſacramento altaris reipſa uiuum & uerum cõtineatur: nulli dubium eſſe poteſt, inter omnia ſacramẽta hoc eſſe auguſtiſſimum, q̃d nobis a ſeruatore noſtro ſub familiari ſpecie panis & uini, relictum eſt, ne naturalis noſtra imbecillitas apparentes, carnis, & ſanguinis ſpecies cũ horrore refugeret.

De ueritate corporis & ſanguinis.

Superuacaneum autem fuerit, in præſentia retexere diſputationẽ de ueritate corporis ſub his ſacris ſignis comprehenſi, cum ipſe Dominus tam euidenter corpus ſuum & ſanguinem eſſe pronũciauerit, atteſtante

teſtante Apoſt.i.Corint. xi. ſe hoc tradere quod accepiſſet a domino, Vbi cum multa ad hanc rem confirmandam pertinẽtia dixiſſet,poſtea ſubiecit: Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium ſibi manducat & bibit,non diudicans corpus domini:quod Corinthijs tempeſtiue dictum eſt. Inter quos erant qui oculis corporis tantũ ſacramenti externam ſpeciem intuentes, non autem lumine fidei rem eius,hoc eſt,carnem & ſanguinem domini aſpicientes, ad ſumptionem eius,uelut ad uſum promiſcui cibi & potus,accurrebant,non diſcernentes corpus & ſanguinem domini a reliquis eſcis,de quibus Apoſtolus ſcripſit: Eſcæ uentri,& uenter eſcis:hunc & illas deſtruet Deus. 1. Co.6. Fides cõmunicantium.

Quare ad hoc,ut quis digne de menſa domini participet,neceſſarium eſt ea perſuaſione,qua diximus,accedat, fortiter contemptis omnibus omnium opinionibus, quamlibet probabili ratione ſuffultis. Etiam hoc ſcire & credere neceſſe eſt, ſigna in hoc ſacramẽto tantum diuiſa eſſe,non rem. Nam ſub utralibet ſpecie totus eſt Chriſtus. nec enim ſanguis eſt abſq; corpore,nec corpus abſq; ſanguine,nec ſanguis abſq; anima,nec anima abſq; deitate. Quo fit, ut Chriſtum in hoc ſacramento uenerari & adorare poſſimus. Etenim ſi diuus Auguſtinus non dubitat aſſeuerare, ne tunc quidem deitatem a corpore Chriſti ſeparatam fuiſſe,cum illud exanime iaceret in ſepulchro,quanto certius eſt,hic totam Chriſti perſonam,ex duabus naturis,humana & diuina,ineffabili modo coniunctam,adeſſe? Et quanquam ſpecies panis, cui benedicimus,in partes frangitur,non tamen aut plus toto, aut minus,qualibet parte cõtinetur. Chriſtus enim integer,& indiuiſus permanet, Quod qui non percipit, aut intellectu non uidet, animoſa fide ſe confirmet,mentem referens ad omnipotentiam eius,qui ſuper mare ambulauit,qui egreſſus eſt clauſo monumẽto,& clauſis ianuis ingreſſus eſt,qui cum patre cœlum & terram creauit:qui dixit, & facta ſunt:mandauit,& creata ſunt,quia non eſt impoſſibile apud Deum omne uerbum. Euchariſtia adorabilis. Mar.6. Ioan.20. Pſal.148 Lucæ 1.

Poſtquam ergo, quæ ſit ſubſtantia huius ſacramenti,dictum eſt: etiam hoc breuiter indicandum uenit, quis eius ſit effectus, & quo ad illud animo accedẽdum ſit. Hic Paulum audiamus loquentem: Probet autem ſeipſum homo,& ſi de pane illo edat. Nam non poſſumus ſimul Affectio cõmunicantiũ.

 partici-

participare de mensa Christi, & de mensa dæmoniorum: non possumus unum corpus cum Christo fieri, & mẽbra nostra facere serua peccati ad immunditiam. Ergo ab omni turpitudine purus sit, qui sanctissimũ Christi corpus utiliter uelit sumere: ab omni cõtentione & odio
oan. 13. sit alienus, qui hoc charitatis symbolum sibi uult cõmunicari. Qui non
Rom. 8. Tit. 2. Act. 5. Psal. 110 est discipulus Christi, non accedat ad mensam Christi. Siquidem ex hoc cognoscuntur eius discipuli, si mutuum dilexerint: si in ipso, hoc est, in charitate permanserint, neq; uitam hauriet ex sanguine Christi, nisi qui uiuum membrum est in corpore Christi. Bonis omnia cooperantur in bonum, malis autem omnia polluta sunt, etiam illa quæ per se sancta sunt & salutaria. Igitur adesse debet charitas, & fides purificans corda: adesse debet sanctus timor domini: nam is qui fecit memoriã mirabilium suorum, hanc escam non dedit nisi timentibus se.

Effectus Eucharistiæ.

Proinde qui, ut oportet, ex hoc pane manducauerit, uiuet in ęternum, & a Christo suscitabitur in nouissimo die ad resurrectionẽ uitæ. Dirigetur in uia recta, stabilietur in sana doctrina & fide: suscipit enim eum, qui uia & ueritas est. Omnium peccatorum suorum remissionem consequetur, capit enim corpus & sanguinem domini, quod pro nobis traditum est, & qui pro nobis effusus est in remissionem peccatorum. Hinc diuus Ambrosius dicere solet, quia quotidie pecco, quotidie medicinã accipio. Virtutẽ enim passionis Christi, sumpto hoc efficaci
varię huius sacramẽti nomenclaturæ. signo & certissimo pignore uenię & uitę ęternę sibi applicabat. De nominibus huius sacramẽti nõ refert hoc loco multa cõmemorare. Eucharistia autem dicitur, eo quod pignus sit gratuitę redemptionis nostrę, habet enim nomẽ a benignitate & gratia. Qui Synaxim appellauerũt, ad cõmunem multorũ participationẽ respexerunt. cum enim referẽte D. Paulo, quisq; propriã cœnam manducat, iam nõ est hoc cœnam dominicam manducare. Vnum enim corpus & unus panis multi sumus,
1. Cor. 2. 1. Co. 10 qui de uno pane participamus: multorum enim, imo omnium Christianorum cõmunis est iste cibus, nulli proprius. Quare cõmunionem huius cœlestis cibi, distributionem recte nuncupamus. Apostolus aliquoties cœnam domini uocat, sed ad quã non solum sobrij, sed & ieiuni, si causæ grauioris nihil obstat, merito accedimus, ut cibus mentis, pabulum corporis anteuertat: neque datur in hoc, ut corporis esuriem compri-

comprimat. Clamat enim Apostolus: Qui esurit, domi comedat. An Ecclesiam Dei contemnitis? Sed ut iustitiam esurientibus subueniat, & pauperes spiritu sederint, saturentur. Panis quoque & calicis domini meminerunt literę Apostolicę, quibus uerbis Eucharistia designatur. Sed panis iste caro est quam dominus dedit pro mundi uita. Materia.

Materia huius sacramẽti, est panis & uinũ aqua mixtũ: tamẽ post q̃ sacerdos quilibet, qui administer est huius sacramenti, pani & calici benedixit, iam substantia panis & uini in substantiam corporis & sanguinis dominici transijt, quod in materia aliorum sacramentorum nõ fit, ubi substantia materię semper eadem remanet. Res huius Sacramenti.

Verba illa sacrosancta, quibus ecclesia catholica hoc sacramẽtum conficit, amputata inutili disputatione, suo loco & usui relinquẽda sunt. Quanquam quid est omnino, quod his seculis scientię persuasione inflatis, & charitate frigidis, in disputationem non sit tractum? Quęritur quomodo Missa (quam sacrũ ministeriũ dicere possumus) sit sacrificium. cui hoc loco paucis respondemus: verbum.

Cum omnia, quę suapte natura bona sunt, & Deo singulariter placent, sacrificia dici possint, quale est Deo gratias agere, ipsi fidere: hymnos spirituales canere, iustitiam diligere, cor propter peccata contritum gerere, cõmunicationis & beneficentię non obliuisci: quis neget primaria quadam ratione corpus & sanguinem domini pro nobis traditum semel & effusum, quod ipsum in altari exhibetur, & a tota ecclesia cum gratiarum actione & orationibus Deo patri offertur, dici & proprie esse sacrificium, cum sit unum & idem hoc quod offertur in altari, cum eo quod oblatum est in cruce? Et qui miratur quomodo una sit oblatio, quę fit diuersis temporibus, cogitet quomodo sit unum corpus, quod habetur in diuersis locis: Iam nulla est actio nostra Deo accepta, nisi intercedente illo sacrificio, quod Christus ipse sacerdos & uictima, deo patri semel in cruce immolauit. Hoc ẽgo ibi immolatũ, hic in sacro Missæ officio sistitur, & incruento modo offertur: simulq; rogatur pater cœlestis, ut huius intuitu nobis ea quę sunt salutaria concedat: Alioqui dicente propheta omnes iustitiæ nostræ contaminatæ sũt, et sola illa oblatio mũda de q̃ Malachias locutus ẽ, deo patri p se grata est, atq; adeo grata, ut huius solius respectu q̃d facimus, ratũ habeat, Missę sacrificiũ. Esa. 64. Mala. 1.

non

non habiturus pro iusto & meritorio, quantumuis bonum illud uideretur, quod agimus, nisi huius sanctissimi sacrificij merito commendaretur. Verum expedit audire D. Chrysostomū, qui de sacrificio Missæ perspicua ueritate ita locutus est: In Christo semel oblata est hostia ad salutem potens. Quid ergo nos? nōne per singulos dies offerēmus & paulo post: Nec nunc quidem alium agnum, craſtina alium, sed semper idipsum, proinde unum est hoc sacrificiū, alioqui hac ratione quia in multis locis offertur, multi sunt Christi, ne quaquam, sed unus ubiq; est Christus: & hic plenus existens, & illic plenus, unum corpus: sicut enim qui ubique offertur, unum corpus est, & non multa corporatita etiam & unum sacrificium. Hactenus Chrysostomi sententiam retulimus. Cur autē tot obsecrationes, postulationes, & deprecationes, quas Apostolus exigit pro omnibus, & maxime his, qui publica potestate præminent, ecclesia huic Missæ sacrificio adiungat, & quam non noui exempli sit, qui scire cupit, sanctum martyrem Cyprianum legat, qui inter cætera sic loqtur, etiā obiter ceremonias Missę attingens: Hierarcha pius, quem spiritus sanctus compungit, excitat, inhabitat, & sanctificat, eleuatione manuum crucis mysterium repræsentans, confidenter orat pro sua, & populi ignorantia. Et ante paulo: In huius ueracissimi & sanctissimi corporis præsentia, nō superuacue mendicāt lachrymæ ueniam, nec unquam patitur contriti cordis holocaustum repulsam. quoties ego te in conspectu domini uideo suspirantem, spiritum sanctum non dubito aspirantem: cum intueor flentem, sentio Deum ignoscentem. Hæc Cyprianus.

Chryso Homil. 17. ad Hebræos.

His itaq; se ad hunc modum habentibus, non fit inter nos de uocabulo sacrificij ullum dissidium, sed potius concordes & alacres, hoc tā sacrum Missæ officium frequentemus, coniungentes uota & suspiria nostra cum precibus totius ecclesiæ, & memores beneficiorum Christi, dum hoc sacrum peragitur, recolamus animo passionem & mortē Christi. nam & in hunc finem hoc sacramentum a seruatore nostro institutum est, ut sacramentaliter aut spiritualiter cōmunicantes, annunciemus mortem domini donec ueniat.

De sacra-

De Sacramento Pœnitentiae.

Deus qui peccatores non exaudit, pœnitentes in gratiam recipit, quibus omni tempore ad Deum & ecclesiam, redeundi potestas est, quantumuis grauia sint illa quæ commissa sunt, uera enim pœnitentia nunquam sera est. Pœnitentiæ asylum semper apertum.

Montani dogma, Lapsis post Baptismum ecclesię fores occludentis, diu explosũ est apostolicis exemplis & scripturarum testimoniis. Nunc magis uidendum est, ne quibusdam licentius delinquendi occasionem facilitas recipiendi præbeat, ut diuitias bonitatis & misericordiæ diuinæ, ad resipiscentiam inuitãtis, securi in peccatis contemnant, thesaurizantes sibi iram in die iræ, secundum cor suum pœnitere nescium. Tales deplorat Apostolus, ne (inquit) cum uenero ad uos, lugeam multos, qui non egerunt pœnitentiam. Indulgẽtia. 2. Co. 12

Vocabulum autem pœnitentię, non eundem sensum ubiq; habet. Cum uero cordis contritionem, seu dolorem susceptum propter peccata cum firmo proposito uitæ melioris, significat, pars est huius sacramenti prima & præcipua, adultis ad baptisma uenientibus necessaria, quod toto libro de fide & operibus asseruit D. Augustinus, & liquet alioqui ex actis apostolicis, ubi Petrus dicit: Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisq; uestrum. Neq; post baptismum minus efficax, q̃ necessaria his qui relapsi sunt. Ad hanc cohortandus est assidue populus, aut etiam impellendus, graui delictorum insectatione, peccati turpitudine & magnitudine ante oculos posita, facta mentione iræ diuinæ & pœnæ perpetuæ, donec ad tantorum malorum commemorationem inhorrescentes, effugium quærant, tacitis animis se coram Deo accusantes, quibus exemplo Petri Apostoli prudens Ecclesiastes oportunum monstrabit remediũ, ne sic exagitatos charybdis desperationis absorbeat. Intimis præcordijs indoluit Iudas, & sibi totus displicuit cũ dixit: Peccaui, tradens sanguinem innoxium. Sed infœlix malum suũ bono Dei putauit esse maius, simul omnipotentiam, ueritatem & maiestatem Prima pars pœnitẽtiæ. Actu. 2. Mat. 27.

ſtatem deo detrahens. Bonus igitur eſt horror ille & timor diuinæ uindictæ, ſed neſcio an melior etiam ſit fiducia & ſpes diuinæ miſericordiæ. Vtrunq; uno uerſiculo Dauid propheta complexus eſt. Com-
Pſal. 146 placitum, inquit, eſt domino ſuper timentes eum, & in iis qui ſperant ſuper miſericordia eius.

Altera pars pœnitētiæ. Secundam pœnitentię partem, uocamus oris confeſſionem, ex manifeſta quondam & publica factam priuatam & clanculariam, quare inuincibili hominum pudori utcunque conſultum eſt, qui prępoſtere facientes, aiunt ſe credere, Deo nihil occultum eſſe, & tamen fortiter contempta dei & angelorum cōſcientia, uerentur hominibus non exprobaturis, ſed ſanaturis, uulnera ſua detegere, recuſantes per cōfeſſionem uenire ad lucem, ne manifeſta fiant opera ſua: quē affectū
Aſſertio confeſſionis. a Chriſto damnari certū eſt. Cum uero nihil tā opertum ſit, quod nō reuelabitur, neq; quicquam tam ſecretum ſit, quod non ſcierur, mirum cur homines fide imbuti, nunc tam grauatim hoc faciant ad ſalutem,
Ioan. 3. quod poſtea neceſſario fiet ad confeſſionem in illo die, cum beatos prę-
Mat. 10. dicabimus quorum remiſſæ ſunt iniquitates, ac proinde etiam tecta ſunt peccata. Eſto ſane, peccatum natura ſua ſit turpiſſimum, ut nō abs re horreamus peccata noſtra apud alios detegere, quaſi conſpectum hominum refugientia: an non rationi & iuri diuino conſentaneum
Pſal. 31. eſt, eos teneri ad confitendum, quod ſine uitio fieri poteſt, qui contra mandatum Dei concupiuerunt, aut dixerunt, aut egerūt aliquid, quod ſine peccato facere non potuerunt? Leuitici xvi. Pontifex poſita utraque manu ſuper caput hirci uiuentis, quem erat oblaturus, confitebatur omnes iniquitates filiorum Iſrael, & uniuerſa delicta et peccata eo-
Definitio pœti. rum, utiq; cognita ex populo. Ad Ioannem Baptiſtam uenerunt confitentes et annūciantes peccata ſua, & non ſimpliciter dicentes ſe eſſe
Io. 3. peccatores, ut quidam uolunt, uerum illis euidentia uerborum recla-
Pſal. 31. mat. Neq; obſcure colligitur hæc confitendi neceſſitas ex uerbis Chriſti, claues conferentis Petro & eccleſiæ, ſicut & apud Ioannem ſacro afflatu oris ſui dat ſpiritum ſanctum apoſtolis, & addit: Quoruncunq; remiſeritis peccata, remittentur eis: & quoruncūq; retinueritis, retenta erunt. Sunt ergo quædam peccata retinenda, neq; ſtatim remittenda, quæ

da, quæ ex circunſtantijs aggrauantur: quibus non cognitis, uel non diligenter excuſſis, quomodo conſtare poterit, quæ quibus remittenda aut retinenda ſunt? Petrus Apoſtolus Ananiæ & Saphiræ peccatum palam obiecit, & prodidit, quod ipſi occulte tenere uoluerunt: quis dubitet ueniam conſecuturos fuiſſe, ſi ipſi antea cum uero cordis dolore ſuum peccatum tam manifeſte faſſi eſſent, quos et in alijs multis peccatores fuiſſe probabile eſt: ſed Apoſtolus quod cæteris grauius erat, ſeparatim & ſpeciatim excepit, & acriter impegit. Quod ideo annotamus, ut appareat, nec diuum Petrum ſemper generali confeſſione, quæ ſuum quoq; uſum habet, contentum fuiſſe. Cogimur propter improbos, etiam quod in malis boni eſt, excerpere: qui Meſſiam ludæis prodidit, facto & uerbis pœnitudinem ſuam declarauit, iniuſtum precium abiecit, & uocem hanc addidit: Peccaui. Nec hoc contẽtus particulatim attexuit: ſe ſanguinis innoxij traditorem, ſimul & ſuum facinus exaggerans, & Chriſti innocentiam teſtificans. Hactenus recte factum eſt, & ſalua fuiſſent omnia, ſi cum Petro ad ſalutares lachrymas, cum ſpe ueniæ potius, quam ad infelicem laqueum currere uoluiſſet. Vas illud electum Paulus, qui cum Dauid dicere potuit: Et peccatum meum contra me eſt ſemper: ad totũ mũdum & omnes poſteros, ſuæ blaſphemiæ & perſecutionis immanitatem proclamat, exemplo delinquentibus eſſe cupiens, ut poſt peccatum a confeſſione non abhorreant. per eã enim magnitudo diuinæ miſericordiæ patefit, & conſcientia quaſi corruptis humoribus per nauſeam reiectis exoneratur: Alioqui ſtrangulat incluſus dolor, & mens æſtuat intus, miſere excrucians hominem ſibi male conſcium. Iubet Hieronymus ſinuoſum ſerpentem e latebris extrahi, ut tanto certius conficiatur. Et in commentarijs ſuper Eccleſiaſtici caput decimum: Quem inquit, ſerpens diabolus occulte momorderit, ſi uulnus ſuum fratri & magiſtro noluerit confiteri, magiſter qui habet linguam ad curandum, facile ei prodeſſe non poterit. nam quod ignorat medicina, nõ ſanat, Apertius etiam diuus Auguſtinus de cõfeſſione loquitur in caput Ioannis v. & in expoſitione pſalmi lxi.

Et Cyprianus in ſermone delapſis ſic loquitur: Confiteantur ſinguli dum

Actor. 5.

Mat. 27

Pſal. 50.

Hyero.

Auguſt.

Cypria.

dum admitti confessio potest, dum satisfactio & remissio facta per sa-
Origen. cerdotes apud dominū grata est. Origenes uero libro pericar. tertio, ait: Qui non prius animæ suæ uitia & peccatorum suorum cognouerit mala, & proprij oris confessione prodiderit, purgari atque absolui non poterit, sed pacificis etiam citra hæc testimonia sufficit consensus Ecclesiæ catholicę, cui nihil unquam temere placuit: quę quos gremio suo fouet, nec superuacaneis onerat, neq; ad salutē necessarijs spoliat, certissima ueritatis magistra, quam uiuificat Christus, & in omnem ueritatem ducit spiritus sanctus.

Tertia pars pœnitentię.

Tertiam pœnitentiæ partem, nuncupamus satisfactionem: quam Cypriani tempore agnouit Ecclesia, neq; nos offendit, si in quo sensu hic accipiatur, intellexerimus: nam illa satisfactio quæ meretur remissionem peccati, & a gehenna liberat, soli Christo conuenit. Ista uero quæ a confessis exigitur, neutrum potest, sed duntaxat in hoc adhibetur, ut pœnam temporalem mitiget, ut pronitatem peccandi inhibeat, ut offensis per nos, si quidē publica fit, satisfaciat, hoc, est argumentum emendationis ostendat: si priuata fit, nostram conscientiam tranquillet, atq; ad bona ab integro exerceat. Itaque optima satisfactionis
Rom. 6 ratio est illa, de qua Paulus loquitur: Sicut membra uestra exhibuistis seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra uestra seruire iustitiæ, in sanctificationem.

Hoc igitur obseruari par est a sacerdotibus, qui hoc pœnitentię sacramentum administrant, ut iuxta Chrysostomi sententiam, peccatis aduersa iniungant. Rapuit quis aliena? pro modulo facultatum suarū iubeatur largiri sua. peccatum est inconsiderata locutione? oportuno silentio uitium castigetur. operibus impudicitiæ, castitatis remedia opponantur. Hic uidendum est, ne exigatur nimium, ne propter admissa grauiora, protinus priuemus hominem in totum ea libertate, qua in Christo recte uti potest. Hoc enim est, merito Christi derogare, & alligare fasciculos deprimentes. Tametsi austera ingenia aliquando ecclesia habuerit, cum in se, tum in alios immodice seuera, quibus permittendum est, ut in suo sensu, quantumlibet abundent, modo id citra alienam iniuriam faciant. Nobis neq; uitiosa indulgentia, neq; asperitas truculenta placere potest. confiderantibus quod ad Galath. vi. scripsit Apost. peccātes & pœnitētes in spiritu lenitatis, suscipiēdos.

Multi-

Multiplex autem eſt huius ſacramenti utilitas. Prima peccatorum remiſſio, ſi uerbis abſolutionis certa fide aſſentiatur qui confeſſus eſt. Altera eſt, quod per ſynceram & integram confeſſionem in propriæ infirmitatis notitiam ueniamus, quæ res ad ſalutem non parum momenti habet. Ad hæc in iis quæ ad officium Chriſtiani hominis pertinent, inſtructiores diſcedimus: ſi quidem confeſſionarium probum et eruditum nacti fuerimus. Præterea nulla res æque deprimit ceruices, ſe contra Deum erigentes, quam confeſſio, qua nos prodimus, & alienæ cenſuræ nos in domino ſubmittimus, deniq; ſacerdotis precibus apud Deum adiuuamur. Vtilitas pœnitẽ.

Verbum huius ſacramenti eſt, abſolutionis formula, qua uulgo ſacerdotes utuntur, quando ſub ſua perſona abſoluunt, uel qua Chriſtus uſus eſt ad paralyticũ: Cõfide fili remittũtur tibi peccata tua, Et alibi: Vade, iam ſanatus es, & noli amplius peccare, ne tibi deterius quid contingat. Mat. 9. Ioan. 5.

Elementũ uero eſt geſtus ille & manus impoſitio, qua mos Ethnicorum repræſentatur, qui quos libertate donabant, manumittebãt. Elementum.

Miniſter uero huius ſacramenti, quilibet ſacerdos eſſe poteſt, quẽ pietate iuxta & ſacrarũ rerũ ſciẽtia excellere oportet, ut queat diſcernere inter ſanctum & prophanum, pollutũ & mundum, niſi quod priuatim in arcana confeſſione intricatas conſcientias expedire, & uerbo Dei inſtituere plus habere difficultatis uideatur, quam populum de Cathedra promiſcue, et generatim docere. Miniſter Officiũ miniſtri.

Vt uero tergiuerſantes ad confeſſionẽ proliciat, ſumma cautione, & prudentia opus eſt ipſe percontando de malis, mala doceat. Auditis uero omnis generis hominum confeſſionibus, ſupereſt, ut quenque ſuæ uocationis & officij iuxta tenorem ſacrarum ſcripturarum, commoneſaciat: quod quis non uidet cum primis arduum eſſe, & incredibilis cuiuſdam laboris, dexteritatis, experientiæ & doctrinæ? Veniunt enim inſtituendi principes, magiſtratus, priuati, obſcuri, nobiles, diuites, pauperes, parentes, liberi, ſerui, domini, negociatores agricolæ, opifices, milites, coniuges, uiduæ, uirgines, ſenes, iuuenes, deniq; omnis conditionis, ſtatus, & fortunæ homines: quibus quiſquis appoſitum conſilium dare neſcit, ad audiendum confeſſiones eſt inidoneus.

De Sacramento Ordinis.

Ordo qd sit.

ORDO est potestas gerendi muneris alicuius in ecclesia, quę per impositionem manuum cum gratia baptizatis legitime confertur.

Assertio ordinis.

Hoc sacramentum ex Christi institutione ad nos profectũ esse liquet, cap. x. apud Matthæum, ubi uocatis ad se discipulis, dat potestatẽ prędicandi & miracula faciendi, utiq; cum gratia & uirtute infusa, ad constanter rectęq; faciendum quod iussi erant: sequitur enim inibi: Cum tradiderint uos, ne sitis solliciti quid aut quomodo loquamini: dabitur enim uobis in illa hora, quid loquamini. neque uos estis illi loquentes, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Itaq; discipuli fidem habẽtes promisso Christi, perpetuo, quoties opus erat agere causã Euangelij præsentem habebant uirtutem illam spirituſſancti, ad faciliter & feliciter obeundum munus sibi delegatum. Rursum Lucæ x. designat dominus & alios septuaginta, & mittit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum quo erat ipse uenturus. Haud dubie non absq; gratia misit eos quemadmodũ & Apostolos. Apertius aliquanto apud Ioannem, ubi post resurrectionem Apostolis tradit potestatem remittendi peccata: Sicut misit me (inquit) pater, et ego mitto uos. Vides peculiare officium illis delegari, & arcanam uirtutem sensibili signo infundi, cum additur: Accipite spiritum sanctũ, hoc est, uim & gratiam spirituſſancti, quam spiritu oris sui in eos directo largitus est. præcedit enim: Insufflauit in eos.

Manuũ impositio. 1. Tim. 4

In locum uero huius inspirationis succesſisse uidetur manuum impositio, de qua Paulus ad Timotheum scripsit, meminit enim doni cuiusdam Timotheo per impositionem manuum dati, idque authoritate sacerdotij.

Minister. Tit. 1: Actu. 13

Penes episcopum autem ordinandi facultas est. sic Cretensi episcopo Tito præcepit Apostolus, ut constitueret oppidatim presbyteros: ex quo simul apparet, baptizatos quantumuis alioq; idoneos, eligi prius & constitui oportere. Ita prophetis & doctoribus, qui erant Antiochiæ, dixit spirituſſanctus: Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus

opus ad quod accerſiui eos. Sed tamen electi a ſpiritu ſancto, non mox proficiſcuntur. ſequitur enim quod poſtquam ieiunatum & oratum eſſet, tunc demum dimiſſi ſunt cum impoſitione manuum. Opinor autem ieiunio & precibus copioſam a deo gratiã Paulo & Barnabæ petitam, qua confirmati in opere ad quod uocati erant, fortiter progrederentur. Quare nemo niſi uocatus, ordinatus & miſſus, aliquam publicã in eccleſia functionẽ accipiat. Quid uero Core, Dathan & Abiron acciderit, qui priuata authoritate ſacerdotio ſe ingeſſerũt, ex decimo ſexto cap. Numeri diſcere licebit, Alioqui negandum non eſt, Chriſtianos eſſe aliquo modo ſacerdotes, ut offerant ſeipſos hoſtias ſpirituales placentes domino, et fructũ labiorũ ſuorũ cõfitentiũ nomini eius.

Ordinũ diſtinctio

Porro diſtincti ſunt ordines eccleſiaſtici in maiores & minores, quos ſua ſerie recenſet concilium Aphricanum iiij. cui Auguſtinus interfuit. Maiores ibi ordines dicuntur preſbyterium & diaconatus, cui poſtea adiectus eſt hypodiaconatus, & inter maiores numerari cœpit, eo quod & in illo poſitis interdictum eſſet matrimoniũ. In minoribus autem ordinibus qui conſtituti ſunt, alij oſtiarij, alij lectores, alij exorciſtæ, alij acolythi, nuncupantur. Præter hos erant pſalmiſtæ ſiue cantores, qui tamẽ ab epiſcopo ordinabãtur, ſed nõ preſbytero mandatũ accipiebant his uerbis: Vide ut quod ore cantas, corde credas: & quod corde credis, opere comprobes.

Ordines maiores.

Ordines minores

Cãtores

Acolythi.

Acolythi uero aſſeclę dicuntur, eo quod eorum officium eſſet, maioribus ordinibus initiatos ſequi, cereos accendere, & accenſos preſbyteris & diaconis præferre. Hi cum ab epiſcopo ordinabantur, ab eodẽ quoq; quid facere deberent docebantur. olim communi uocabulo dicti ſunt miniſtri, ut indicat Laodicenum concilium cap. xxij.

Exorciſtæ.

Exorciſtæ ſiue adiuratores, conceptis ſacris uerbis diabolicas illuſiones propellebant, & curabant dæmoniacos. Cum ordinabantur ab epiſcopo, librum de manu eius accipiebant, in quo ſcripti erant exorciſmi, quem cum dabat epiſcopus, dicebat: Accipe & commenda memoriæ, & habeto poteſtatem imponendi manum ſuper energumenum ſiue baptizatum ſiue catechumenum. Erant autem euergumeni, homines irrequieti, qui ab immundis ſpiritibus uexari credebantur.

Fuerunt autē & in ſynagoga exorciſtæ, ſed inefficaces, ut uidetur, poſtquam Chriſtus aduenit. Alioqui cur filij Sceuæ ſacerdotis ſeptem Iudæi cum eſſent, & non Chriſtiani, ſuper eos quos adierabant, inuocare cœperunt nomen Ieſu, cui tamen non credebant? niſi forte experiri uoluerunt uirtutem huius nominis, quod non abſq; graui periculo tentauerunt, ut teſtatur Lucas Actorum decimonono.

Lectores

Lectores ex ueteri teſtamento aliquid ad populum recitabant. & cum Epiſcopus ordinabat, eos ut ingenuos & probos commendabat, quibus præſente plebe, codicem tradebat, hæc addens: Accipe & eſto lector uerbi Dei, habiturus, ſi fideliter & utiliter impleueris officium, partem cum eis qui uerbum domini miniſtrauerunt. Hos utcunq; repreſentāt hodie, qui ſub matutinis precibus lectiones legunt.

Ianitores,

Oſtiarios nunc uocamus dominici templi cuſtodes, quorum officium magnum & multiplex fuiſſe oportet, cum tam multos & magnos reditus adhuc quotannis alicubi habeant. Certe iſtorum tanta dignitas quondam fuit, ut abbates quoq; his obedientiam deberent. Aſtabant autem foribus templi, & repellebant ab eccleſia indignos, & ſuum cuiq; locum deſignabant, ſeruato diſcrimine inter hæreticos, excommunicatos, energumenos, catechumenos, & pœnitentes, ne in cancellos ubi perage batur ſacrum, ſubmouendi irreperent aut irrumperent: uel confuſo locorum ordine, ubi non oportebat, indecēter conſiſterent. Præterea rerum etiam quarum uſus erat in eccleſia, oſtiarijs, uel (ut alio nomine ſignificāter quoq; dicimus) ianitoribus, cuſtodia erat commiſſa, quos archidiaconus inſtituebat, quomodo in eccleſia, ſiue domo Dei uerſari deberent. His, cum ordinarentur, Epiſcopus tradebat claues de altari ſumptas, hæc uerba adijciens: Sic agite quaſi domino reddituri rationem de his rebus, quæ per has claues recluduntur. Cæterum iſte ordo inter minores ordines erat minimus.

Hypodiaconi.

Hypodiaconi Leuitis ſeu diaconis in ſubſidium ſunt additi. nam oblata a populo altari imponenda, diaconis tradebāt: cum quibus ſacris ueſtibus induti, Epiſcopo aut presbytero ſacrificanti teſtes, miniſtri & defenſores aſtabant, ne ſacrificans premeretur, aut ſimili modo impediretur. Cuius rei teſtis eſt Anacletus. cum iſdem Epiſtolam legere & cantare cœperunt, calicem & patenā ad altare deferre & diaconis porrigere, ſacra

rigere, ſacra lintea, quorum contrectatio laicis uetita eſt, lauacre aquã ad altare Epiſcopo, preſbyteris & diaconis infundere. Fabianus Pontifex ſeptem hypodiaconos ordinaſſe dicitur, quibus hoc negocij dederat, ut uigilanter prouiderent, ne conficta miracula pro ueris in literas referrentur.

Diaconi

Diaconi euidens in ſcripturis teſtimonium habent, & in locum Leuitarum antiquæ legis ſuffecti uidẽtur. Vnde etiamnum Leuitę ipſi appellantur. Actorum vi. cap. primum eliguntur ſeptem numero, qui miniſtrarent menſis, quos ipſi Apoſtoli impoſitis manibus ordinauerunt: quibus & euangelizare & baptizare licuit, ut docet ca. viij. & viij de duobus diaconis Stephano & Philippo. Apoſtolus in priore ad Timotheum non minus accurate formam boni diaconi quam boni epiſcopi propoſuit. Diaconorum poſtea officium eſſe cœpit, ordinandos epiſcopo exhibere, & de uita ipſorum teſtimoniũ perhibere, nomina catechumenorum recitare, ſacram ſynaxim non quidem conſecrare, ſed tamen conſecratam a ſacerdote populo diſtribuere, eleemoſynam pauperibus & eccleſiæ miniſtris diſpertiri: qua in re celebre eſt factũ ſancti Laurentij. Epiſcopum de moribus ſui populi certiorem facere, cui oculorum uice erant, cui etiam ſacrum & uerba apud populum facienti proximi aſtabant, ut & teſtes eſſent eorum quæ dicerentur & fierent: ſimul & obſeruarent, ne quid accidere poſſit epiſcopo a circunſtante populo.

Preſbyteri.

In ipſis naſcentis eccleſię exordijs, nõ aliud erat preſbyter q̃ epiſcopus, id quod paſſim loquuntur literæ Apoſtolicæ, tametſi exẽplo Chriſti inter epiſcopos & presbyteros diſcretio facta uideri poſſit, ſic ut in locum Apoſtolorum epiſcopi, & in locum ſeptuaginta duorum, q̃s binos ante ſe miſit Chriſtus, preſbyteri tranſierint. Rurſus inter epiſcopos eſt aliquid diſcriminis, ſic ut unus, nimirum Romanę ſedis epiſcopus, poteſtate iuriſdictionis ad tollendum (ut Hieronymus ait) occaſionem ſchiſmatis emineat. Horum omnium, ex æquo commune officium eſt, deprecationi & adminiſtrando ſermoni incumbere, baptizare, corpus & ſanguinem domini conſecrare, infirmos ſacro chriſmate inungere, & pœnitentes abſoluere.

Officiũ preſbyteri.

Verbum

Ordinantur autem ab episcopo presbyteri, uerbis ex euangelica & Apostolica scriptura desūptis. De ordinatione uero episcopi, consulēdi sūt Canones Apostolorū q iā excusi circūferūtur manib. omniū.

Elemētū

Elementum huius sacramēti, quod ad maiores ordines attinet, est manuum impositio. Quod uero ad minores, ipsa instrumenta, quæ ordinandis tradebantur.

Minorū ordinum assertio. Ignatius

De minoribus ordinibus, quod cum ipsa ecclesia cœperint, atque adeo ex Christi institutione ad nos profecti sint, Ignatius martyr Ioannis apostoli discipulus, ad Antiochenos scribens, cōfirmat, honorifici istorum mentionem faciēs. Saluto, inquit, sanctū presbyterum uestrū saluto sanctos diaconos, saluto subdiaconos, lectores, cantores, ostiarios, laborantes, exorcistas, atq; confessores. Hæc Ignatius. Quod uero in contemptum iam abierint maiores ordines cum minoribus, partim hominum malitia, partim etiam ordinatorum nequitia & uita inordinata factum est: quam rem deplorare procliuius est, quam emendare. Poterit recuperari honos ordinum, si in ordinatis reflоruerit decus & honestas morum.

Effectus ordinis

Attamen ea in hoc sacramento cōfertur gratia, quæ ordinatorum ministeria ualere faciat, siue ipsi boni sint, siue mali, donec superioris authoritate ab ordine deponantur, aut excommunicationis lata sentētia, extra ecclesiam ponantur.

Ordo iterabilis Aug. ist Gregor.

Hoc sacramentum sicut & baptismi, initerabile docet D. Augustinus lib. iij. aduersus epistolam Parmeniani & Gregorius. Vt semel, inquit, baptizatus non debet iterum baptizari, ita qui cōsecratus est semel, in eodem ordine non ualet iterum consecrari.

De Sacramento Matrimonii.

Dignitas matrimonii

CONiugium inter alia sacramēta antiquissimū est & primo necessarium. nasci enim prius est, quam renasci, cuius dignitatem attolli hoc seculo ualde expediret, propter eos qui quauis de causa citius, q̄ ob regnum cœlorum a matrimonio abstinent, uertentes sibi libertatem illam

tem illam ſpiritualibus functionibus accommodatam, in occaſionem carnis: qui eum coram Deo ſint abominabiles, uolutati in cœno turpium uoluptatum, haudquaquam tamen temperant ab execratione & contemptu matrimonij, quod Deus inſtituit, Moſes comprobauit, ſancti patres coluerunt, Chriſtus primitus ſuorum miraculorum conſecrauit, literæ Apoſtolicæ laudauerunt, & inter ſacramenta ſpiritu ſancto authore eccleſia recepit & collocauit. Contra quos in ſcriptura prædicatur: Honorabile coniugium, & torus immaculatus: Fornicatores uero & adulteri Deo iudicandi relinquuntur. Hebr. 13.

Matrimonium qd ſit.

Eſt autem coniugium individua uitæ ſocietas inter uirum & fœminam liberorum cauſa in domino inita. Sunt quidem inter Ethnicos matrimonia propter ſobolem contracta, ſed tamen non in domino, quem ignorant, aut non, ut oportet, colunt. Ediuerſo Iudæi olim in domino contrahentes matrimonium, ruperunt ſocietatem illã, quæ debuiſſet eſſe individua & perpetua, quos Chriſtus apud Matthæum obiurgat, oſtendens quid ab initio fuerit, & poſthac fieri oporteat, ne uidelicet quoquomodo ſeparentur quos Deus coniunxit, niſi ob fornicationem: & tamen ea de cauſa ſeparatos duntaxat locorum interualis, conſtringit adhuc inuiſibilis & indiſſolubilis nexus, qui res eſt huius ſacramenti, quemadmodum id Apoſtolus aperte confirmat, allegata ſententia domini: Coniugatis, inquiens, præcipio non ego, imo dominus: uxor a uiro nõ ſeparetur: quod ſi ſeparata fuerit, maneat innupta, aut marito recõcilietur: & maritus uxorem ne dimittat, hoc eſt, ne ſeparetur ab uxore, ſicut nec uxor a uiro ſeparari debet. Nam in hac re maritus eadem lege cum uxore tenetur. Loquitur autem Apoſtolus, (ut interpretatur Diuus Auguſtinus) non de qualibet cauſa ſeparationis factæ, ſed graui & iuſta, nimirum fornicationis. Quod etiam tunc uxorem adulteram maritus, uel maritum adulterum uxor pœnitentia ſanatum recipere debeat, aut ſi nolit, in cœlibatu perſeuerare cogatur, donec coniugale uinculum alterutrius morte diſſuatur. Sed cur nolit, inquit Auguſtinus ad Pollentium, aut cur durum iudicet poſt adulterium reconciliari, cum non oporteat deputare adulteros, quos credimus iam per pœnitentiam correctos? Matrimonij uinculũ irreſolubile. Mat. 19. 1. Cor. 7. Auguſtinus.

Et rurſum: Non erit, inquit, difficilis aut turpis poſt patrata & purgata adulte-

ta adulteria reconciliatio coniugij, ubi per claues regni cœlorum non dubitatur fieri remiſſio peccatorum, non ut poſt uiri diuortium adultera reuocetur, ſed ut poſt Chriſti conſortium adultera non uocetur. Hæc Auguſt. Iam quod in Deuteronomio ſtultus uocatur qui adulteram retinet, in quo ſenſu fit accipiendum, ſatis apparet. Stultiſſimus enim eſt, qui ſciens patitur uxorem ſuam iũgi alteri, neq; audet eam uel increpare uel repellere, quoad adulterari deſierit.

Polygamia.

Cum uero matrimonium definiatur uiri & fœminæ coniunctio, & Adam dixerit duos fore in carne una: mirum uideri poſſet, cur in ueteri lege ſanctis patribus plures legamus fuiſſe uxores, quod in noua lege penitus ſublatum uidemus. Sed plures huius rei poſſunt eſſe cauſæ, uel quod tum uiguerit præceptum hoc, Creſcite & multiplicamini, uel quod multæ uxores uni uiro nuptæ, figurã habebant Chriſti uenturi, qui ex diuerſis nationibus, ludæis & gẽtibus, Eccleſiam tanquam ſponſam ſibi adiungeret: uel quod alioqui peculiaris libertas illi legi ob cauſas Deo cognitas conceſſa fuerit, qua tamẽ non omnes tũc uſi ſunt. Nam in lege noua uti prorſus nulli permiſſum eſt, eo quod iam ẽxhibita euanuerit umbra. multæ enim factæ ſunt uxores agni. Adde quod naturę conditio polygamiã patrũ non excluſerit. uir enim unus ex multis uxoribus liberos tollere poteſt: una uero ſi multis nupta ſit, naturæ manifeſto aduerſabitur, & pro fœcunditate ſterilitatẽ accerſet, quemadmodum & illi, quos Apoſtolus multos uni uiro Chriſto deſpondit, non fructificabunt in uitam æternam, ſi ſe pluribus dominis partiti fuerint. Itaq; unam pluribus nubere natura damnat: Vnum plures ducere lex uetus tolerat. Vnam uero uni duntaxat nuptã eſſe lex noua confirmat. quæ quidem matrimonium, ut bonum, laudat: ſed tamen uirginitatis propoſitum, ut melius, approbat.

2. Cor. 11

Matrimonii moleſtiæ.

Neque ideo ſibi diſpliceant, aut ſtatum ſuum faſtidiant coniuges, ſi præferri ſibi audiant uirgines, quibus parcit Apoſtolus, & matrimonij moleſtijs, propter præſentem neceſſitatem carere patitur. De coniugatis uero dixit, quod afflictionem in carne habituri ſint. Quod tamen præcipue uerum erat tum feruerent perſecutiones, & graue eſſet ex una ciuitate in aliam fugere cum uxore & liberis, Durum autem eam relinquere, durius etiam tori conſortem aut

tem aut dulcia pignora in tormentis uidere. Accedunt his alia multa, quibus implicantur cõiuges, difficilis & periculosus partus, laboriosa infantium educatio, solicita puerorum institutio, incertus iuuenũ euentus, curæ familiares, molestiæ ex affinibus, & uarij præterea casus, qui quotidie incidere possunt. Hę sunt afflictiones carnis, de quibus Apostolus loquitur, quas ut facilius ferant, & in eo statu quem amplexi sũt, per omnia honeste se gerant, efficit gratia Dei huic sacramento addita, quã percipiunt q̃ legitime in dño coniungũtur, prius per mutuũ cõsensum, posterius per uerbum a sacerdote prolatum: cuius sententiam quacunq; phrasi pronunciare liberum erit: nec enim lingua uernacula dictum, minus ualebit, quam si Latine dicat sacerdos: Ego minister Dei & ecclesiæ, uos ambos uirum & fœminam, iugum matrimonij simul ducere cupientes, in nomine dei patris, & filij, & spiritus sancti cõiungo. sic enim expressis uerbis certos facit illos de ea coniunctione, quæ fit diuinitus, de qua Christus apud Matthæum xix. capite locutus est: Et hoc modo ratum est matrimonium coram ecclesia, & uerbo Dei p sacerdotem contractum, cum antea mutuo tantum consensu per uerba de præsenti, ut loquuntur expresso, legitimum modo inter illos matrimonium fuerit, quod tamẽ non est sacramentum, nisi eo pacto quo diximus, ratum fiat: consummatum autem erit, si causa prolis congressus accesserit, qui nunc sæpenumero in tanta uiuendi licentia, & ratum et legitimum coniugium anteuertit, quem recte stuprum appellaueris. Attamen propter stupra uitanda, suam quisq; (inquit Apostolus) uxorem habeat, & suum quæq; uirum. Et iterum: In coniugatis, inquit, & uiduis dico: si se non continent, contrahant matrimonium. Rursum eodem capite, Satius est matrimonium contrahere, quam uri. Hæc toties repetita & inculcata, quid aliud clamant, quam Paulum in moribus Christianorum nullo modo ferre posse stuprum, aut incontinentiam aut ustionem? Vocabulo incõtinentiæ, omne genus spurcitiæ compræhenduntur. Vritur autem, qui sic æstuat flamma libidinis, ut animũ offici Christiano homine dignis uere intentum habere nequeat. His malis arcendis Apostolus monstrat remedium, nempe matrimonium. quod nonnulli, ante quorum oculos non est timor Dei, sed amor nũmi, aut dignitatis, aut oĉij, iudicio non satis syncero, nec bene maturo

1. Cor. 7 Gratia huius sacramẽti,

verbum cõiugiũ ratum

Coniugium legitimum.

Cõiugiũ q̃ fit sacramẽtũ

Cõiugiũ consũmatum.

1 Cor. 7 uri qd. matrimonium remedium.

consilio, sed temere respuentes, & in mirabilibus supra se ambulare cupientes, cum non caperent uerbū ꝗd locutus est dñs, in quæ dedecora prolapsi sint, testis est illis sua ipsorū conscientia, ne quid istorū cū acerbitate hic proferri necesse sit. Quod si aliud sanctius remedium adhibere uolumus, quale etiam commonstrat Apostolus, applaudet tota ecclesia militantium & triumphantium tam sancto proposito. Quid enim mirabilius tali uirgine, quæ curat ea quę sunt domini, ut sit sancta cum corpore cum spiritu? Sed ista uoueri quocunq; modo, nō satis est, præstari oportet. siquidem magnifice uouentium ubiq; ingens est numerus, bona fide præstantium non perinde magnus. Et quanquam Paulus sic loquutus est, tamen non tam quid faciat uirgo & innupta, quam quid facere debeat, significare uoluit. nec enim quisquis uxore caret, statim curat ea quæ sunt domini: aut quæ innupta est, mox cogitat quomodo placitura sit Deo. Laudantur ergo cœlibes nō simpliciter, sed tales, qui curant ea quæ sunt domini. Laudātur etiam coniuges

1. Reg. 1 Cōiugis officium circa liberos.

gignentes sobolem non synagogæ satanæ, sed ecclesiæ Dei: non terrę, sed cœlo: non mundo, sed Christo. Anna genuit Samuelem tabernaculo, similiter omnes Christianæ uxores facere debent, liberos parere, & illos in fide ac dilectione et sanctificatione, cū castitate educare, eoq; modo ecclesiæ Dei, quæ magnum tabernaculum est, dedicare. hoc ēm

1. Tim. 2

facientes, non curabunt ea quæ sunt mundi, sed erūt habentes maritos tanquam non habeant, & utentes hoc mundo tanquam non utantur. Quare nemo istud de omnibus uxoribus interpretetur, quod vij. cap. prioris ad Corinthios legimus: Quæ nupta est, curat ea quæ sūt mundi, quomodo placitura sit uiro. aut enim mundū intelligere debemus, in quo regnant hæc tria: concupiscentia carnis, cōcupiscentia oculorū, & superbia uitæ. Et sic omnes nuptas damnari necesse est, si modo talis mundi curam habent, quod dictum falsum & absurdum est, cum tā bene sperare oporteat de salute uxorū Christianarū, ꝗ earū quę uirginitatem aut continentiā professæ sunt. In domo enim Dei patris mansiones multæ sunt. Aut si plerunq; fit, ut quæ mundi sunt, uulgus uxo

Sāctimonia coniugum.

rum appetat, ne omnes sic affectas accipiamus, aut certe hoc affectu nullam præditam esse debere intelligamus., cum diuus Petrus mulieres nuptas omnis corruptelæ expertes esse uelit, quod non recte præciperet,

ciperet, si quę uxores esse cœperunt, hoc non possent, aut non deberēt. Itaq; illas a concupiscentia oculorum & superbia uitæ auocans, loquitur: Vxorum ornatus nō sit externus, qui situs est in plicatura capillorum & additione auri aut palliorum amictu. Verum occultus, qui est in corde homo, si is careat omni corruptela, ita ut spiritus placidus sit ac quietus: q spiritus in oculis Dei magnifica & sumptuosa res est. Quę uerba an non eximiam sanctimoniam a coniugibus exigunt? quam hodie uix licet impetrare ab his, qbus mūdus crucifixus est, & status cōiugalis abiuratus. Rursum idem Apost.: Vxores, inquit, subditę sitis uiris uestris, ut etiā qui non obtēperāt sermoni, per uxorum conuersationē absq; sermōe lucrifiāt, dū cōsiderāt cū reuerētia cōiūctā castā cōuersationē uestram. Audis castā conuersationē, audis reuerentiam, & tantā conuictus uxorū integritatem, ut hac conspecta uiri moueantur, & ad fidem adducantur, qui euangeliſtarum sermone moueri non poterāt. Obsecro an uxor habens talem spiritum in oculis Dei magnificum, curet ea quæ sunt mūdi, & non potius quæ sunt domini, quomodo placitura sit deo, dum uiro reuerēter & honeste in omnibus est subiecta? Hæc si ut oportet, a parochis docerentur, castiora haberemus matrimonia, ab omni scurrilitate, obscœnitate, & turpiloquio pura: nunc facta diuisione Christianorū in mūdanos & spirituales, tanta est secuta licētia inter cōiugatos, ut credāt sibi licere quicquid libet, omni cura pudicitiæ & uerecundiæ abiecta, & ad religiosos ac spirituales relegata, cum ad omnes pertineat, quod quinto ad Ephesios capite scribit Apostolus: Scortatio & omnis immūditia, aut auaritia, ne nominetur quidem inter uos, sicut decet sanctos, aut obscœnitas aut stultiloquium. Vbi ergo nec uoce tenus iactatur ulla immūditia, aut auaritia. ubi omnes sancti sunt qui in carne non sunt, sed in spiritu; qui Christi sunt, & carnem suam crucifixerunt cum omnibus uitijs & cōcupiscentijs suis, quomodo ibi est cura mundi? 1. Petri. 3. Eodē ca.

Hæc si coniugati ignorant, cum omni præcipiendi studio erudiantur, ut sciant se uocatos in sanctificationem, & non ad immunditiem: & coniugium soboli, non libidini, destinatum esse. Causa instituti matrim.

Ob hanc enim causam proprie institutum est, ut esset humani generis

honestum seminarium. Nam quomodo signum sit mystici illius commercij, quo Ecclesia Christo capiti & sponso suo coniuncta est, ut explicet concionator, non anxie illi laborandum est. magis attinet docere uiros, ut diligant uxores suas, sicut & Christus dilexit ecclesiam. Ite uxores, ut uiris subditę sint, ueluti domino quoniã uir est caput uxoris, sicut et Christus est caput ecclesiæ. Adhæc ut uiri uxorib. debitã benuolẽtiam reddãt, similiter & uxores uiris. Nã uxor proprij corporis ius non habet, sed maritus: similiter & maritus proprij corporis uis nõ habet, sed uxor. tum ut quam proxime imitentur nuptias Christi & ecclesiæ, quæ turpitudinis nihil, fœcunditatis plurimum habent. hæc enim propius ad rem faciunt.

Murua coniugũ inter se officia.

Ephe. 5. 1. Cor. 7

Elementũ

Elementum uero huius sacramenti, est gestus ille quo in ecclesia iungendi matrimonio utcunq; repræsentant consensum & copulam coniugalem. Ad quod cum uerbum accesserit, fit sacramentum. Cuius minister in noua lege sacerdos est, in ueteri parentes, aut, his defũctis, cognati. aut deniq; tutores esse potuerunt. Sic Raguel dextram filiæ suę Saræ apprehendens, eam dexteræ Thobiæ iunioris tradidit, & dixit: Deus Abraham, et Deus Isaac & Deus Iacob uobiscũ sit, & ipse coniungat uos, impleatq; benedictionem suam in uobis.

Minister

Thob. 7.

De Sacramento Extremæ VNCTIONIS.

Quemadmodum Baptismus hominẽ recẽs natum uel iam adultum in Christo regenerat, & confirmatio contra omnes diabolicas impugnationes armat, pœnitentia relapsos erigat, sacra Eucharistia hominem huius mundi malis delassatum recreat, sacramentum ordinis necessarios & utiles ecclesiæ Dei ministros suppeditat, & matrimoniũ honesta uitæ societate genus humanum propagat & conseruat, ita sacra hæc unctio hominem iam ex hac uita discessurum, ab horrore mortis de propinquo imminentis liberat, ut ad utrumq; paratus sit, uel superesse si Deo ita uisum sit, uel obdormire in domino.

Tri

Triplex omnino olei genus ecclesia consecrat. unum dictum catechumenorum: alterum chrisma: tertium, infimorum. In hoc autem sacramento oleum quicquid foris & corporaliter adhibitū operatur, idem intus in homine spiritualiter efficit, si ut oportet, adhibeatur. Nā ut oleum suapte natura tranquillum est, & tranquillitatem affert ijs rebus, quibus miscetur, & corporibus illitum, lenitatem & robur addit, denique lucem alit, quę tristi caligine discussa hilaritatem inducit: itidem hæc sacramentalis unctio animos hominum ad tenebras ingruentis lęti inhorrescentiū, quasi illato cœlestis aulæ splendore exhilarat, & mentem miseris cogitationum & curarum tumultibus conturbatam, mirifice tranquillat, asperitatem morbi mitigat & corporis ægritudine, ac mortis formidine hominem prope confractū consolidat & corroborat. Neq; dubitandum est, his modis omnibus subleuari ægrotum, si secūdum doctrinam Iacobi Apostoli applicetur hoc sacramentum Qui capite quinto epistolæ suæ, quam unam ecclesiæ reliquit, & sacramentum esse demonstrat, indicata eius materia seu elemento, sacrorumq; uerborum formula, pariter & ministrum & effectum eius designat. cum enim dicit, Si quis infirmatur in uobis, inducat presbyteros ecclesiæ: simul eos qui administrant, & quibus ministratur, ostendit, ægros uidelicet, quibus uigor corporis iam deficit. nam sanis non est necessarius sacrę unctionis usus, quanquam nec ęgrotis ita necessarius est, ut nullo contemptu omissus, salutem animæ impediat. Cum uero additur, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine domini: materia & uerborum forma declaratur, nempe oleum oliuæ, & explanatior oratio, qua Deus unus & tres personæ exprimuntur. Nec enim aliud est, In nomine domini ægrotum ungere, quam in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti eum ungere, sicut in Actis baptizati legun tur in nomine Iesu, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra, q cum patre & spiritu sancto idem est, & eadem operatur. In cuius nomine quicquid fit, etiam in patris, & spiritus sancti nomine fit. Sic cum Petrus & Ioannes ad orandum ascendentes in templum in nomine Iesu surgere iubent claudum a natiuitate, perinde faciunt ac si trium personarum expressis nominibus, integritatem corporis claudo conferant, nec enim operationes habēt separatas, quibus tanta est substan

Triplex sacri olei genus.

Minister

Materia verbum. Acto. 8. Acto. 3.

tiæ identitias & uiras.

Orationes aũt quæ præter uerba sacramenti accedunt, ut ratione unctionis faciendæ non sunt mere necessariæ, ita tamen nullo modo sunt superfluæ: multum enim ualet deprecatio iusti assidua. Et Paulus quoslibet uiros, nedum presbyteros, in omni loco orare vult: quanto magis in administratione huius sacramenti & aliorum, ut capaces sint gratiæ & percipiendis sacramentis idonei, qui in ecclesia positi, uirtutem passionis CHRISTI per sacra ista & uisibilia signa in se cupiunt deriuari.

Iacobi 5. 1. Tim. 2.

Effectus unctiõis

Verum quod sequitur: Et oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum dominus: & si in peccatis fuerit, remittentur ei: multiplicem gratiam innuit, quam inunctus assequitur, utpote remissionem peccatorum, alleuiationem, seu releuamen, & saluationem, siue salutem.

Oratio fidei, est deprecatio cum fide & fiducia erga Deum, qui omneshomines uult saluos fieri. Ad hanc in eadem epistola nos hortatur Iacobus, cum ait: Orate pro inuicem ut saluemini. Non quòd sola oratio salutem adferat, sed quod per eam quæ saluti conducunt, a Deo impetremus.

Orare autem, ut est commune omnium Christianorum officium, ita præcipue illorum, qui functionem & dignitatem apostolorum successerunt, qui in actis dicunt, sui muneris esse docere & precari, plantare docendo, & rigare orando, ut sic præparatis hominum cordibus, Deus in omni bono profectum & incrementum largiatur.

Alleuiari autem ægrotum, est refocillari, ut mali & morbi quo laborat, magnitudinem commodius ferat, non autem ut semper morbum aut mortem euadat. Interdum enim melius est ægrotare, quam recte ualere: affligi, quam suauiter affici; mori, quam uiuere.

Sed tamen

Sed tamen hoc agitur, ut facto prouentu, cum afflictionibus æger ualeat ſuſtinere, non modo cruciatum morbi, ſed mortem etiam, ſi eo uocet fatalis neceſſitas.

Cęterum condonatio criminum ante omnia eſt neceſſaria, eo quod totius humanę miſeriæ cauſa ſit peccatũ. Ideo Seruator noſter Paralytico priùs peccata remiſit, & deinde ſanauit, ne remanente culpa, adhuc inhæreret pœna.

Quamobrem eccleſiaſticæ conſuetudinis eſt, ut inungendus animum ſuum, facta exomologeſi, prius purget, ac deinde ſacri olei fiat particeps.

Tametſi nõ ſemp eſt neceſſe, particularẽ confeſſionẽ facere, ideo quod ægrotus forte iam ante ſacerdoti ſacram ſynaxim impartienti, in aurem confeſſus ſit. Attamen uel propter circunſtantes, aut etiam ægroti cauſa, quo ſuorum peccatorum utiliter recordetur, generalis confeſſio a ſacerdote & infirmo, & ijs qui adſunt recitanda eſt. Quo peracto, ſequitur ſacra vnctio, quæ quoque ut alia ſacramenta inuiſibilis gratiæ uiſibile ſignum eſt.

Et quanquam apud Marcum ſexto capite legatur Chriſtus, non facta unctione, ſed ſanctiſſimarum manuum impoſitione ægrotos ſanaſſe: diſcipulis tamen quos ad prædicandum & faciendum miracula miſit, (quemadmodum ex eo quod poſtea geſtum eſt, ſatis apparet) mandatum dedit, ut ægrotos oleo inungerent. ita enim eodem capite ſcribit Marcus: Et oleo ungebant multos ægrotos, & ſanabantur. Quod nec iniuſſi fecerunt, neque ut chirurgi, arte humana, aut ui naturali cum tanta efficacia oleum illeuerunt, ſed uirtute diuina ſacramentaliter operante, ad ſanitatem ægros inunxerunt, ut hoc per Apoſtolos effecerit oleum, quod per CHRISTVM ſacrarum impoſitio manuum.

Plura teſtimonia pro hoc ſacramento non deſideramus. alioqui nec irrefutabilis eccleſiæ authoritas & teſtificatio deeſt, neq; tacent de hoc ſacramento libri illorum quos & eximia uitæ ſanctimonia a ſuſpitione mendacij liberat, & incredibilis ſacrarũ peritia rerũ & eruditio ab errore Chryſoſtomum dico & præſeruat, Auguſtinum, & his antiquiorem Dionyſium, ut recentiores omittamus, qui & in ſcripturis pulchre ſunt oculati, et in ritibus et cleſię bene exercitati, multoq; certiora & fide digniora loquuntur, quam nõnulli, quibus procliuius eſt cauſam peſsime odiſſe, quam intime cognoſcere: & magis libet acriter reprehendere, quam fortiter defendere? quibus ſi affectu non errant, precamur gratiam ſancti ſpiritus, qui intellectum dat paruulis: ut humilibus conſentientes, non altum ſapiant ſed potius ab errore ſibi metuant, eccleſiæ Dei catholicæ non præeuntes, ſed eam ut ducem & magiſtram in omnibus ſequentes, in qua ſcripturarum certiſſima eſt interpretatio & ſacramentorum ſaluberrima participatio.

Chryſoſtc. lib. 3 de ſacerdotio.

Augu. de rectitudine catholicæ conuerſationis.

Idem li. 2. de uiſitatiõe infirmorũ

Dyon. 7 ca. Hierachiæ eccleſiar.

FINIS.

Modus instituendæ puerítiæ Christianæ.

SVPERSTITIO non gignit pietatem, ideo teneram ætatem non inanibus terriculamẽtis, nec speciosis aut fucatis blandimentis infici uolumus, sed syncera doctrina imbui, ut idoneos respublica Christiana ministros aliquando habeat. Nihil enim tam attinet pueros discere, quam quod scire conuenit ubi adoleuerint. casti & puri matrimonij odiũ rudibus animis instillari non patiemur, sicut nec uirginitatis contemptum doceri ullo modo permittimus: calorem ætatis liberali institutione temperari & restingui iubemus, quando (ut Ethnicus scriptor ait) non est leue tot puerorum obseruare manus, & prouidere ne turpia ludant. Quapropter rem Deo gratissimam præstiterit, qui iuuenibus erudiendis præfectus est, si ea in docendo, monendo et coercendo moderatiõe utatur, ut nec generosos pueritiæ spiritus frangat, nec turpiter, ignaue aut facinorose agendi occasionem subministret. Ad quam rem plurimum conducere arbitramur, si optima quæque & sanctissima illi ætati cum ratione proponantur, præsertim cum ad omnia docilis sit, neque quidquam penitius imbibat aut constantius tueatur, aut postea efficacius promat & liberius exerceat, quam quod a teneris unguiculis meditata est. Et quia compertum habemus, non sine certa succrescentiũ ingeniorum pernicie per ineptos quosdam horribilibus dæmonum spectris iuuentam superstitiose terreri, aut angelicis uisionibus incautã ætatem periculose allici, aut alijs quibuscũq; apparitionibus laruarum, lemurum, & consimilium præstigiarum exagitari præcipimus: his noxijs deliramentis proiectis, ea iuuenibus prætendi & infigi, quæ ad notitiam rerum homini Christiano credendarum & faciendarum pertinent, ut Deum cognoscere, colere, amare, & orare incipiant. Hæc eñ

nullo tempore dediſcenda ſunt, ab impietate pariter & ſuperſtitione, & periculoſa incertitudine alieniſſima. Huc ſi acceſſerit doctrina literarum & diſciplinarum, ſatis erit operis, quo uacuæ mentes adoleſcentium honeſte occupari poſſint, ita tamen, ut pietatis prima habeatur cura, quæ ſane repoſita eſt in fide & fiducia erga Deum, in aſſiduitate prædicandi & erigendi animum a terrenis ad cœleſtia, & præcipue in officijs charitatis quę debentur proximo. Qui enim non amat ſyncero animo proximum quem uidet, Deum quem nõ uidet, quomodo amabit? Igitur cũ hęc abſolutiſſime cõprehenſa ſint in ſymbolo Apoſtolorum, in oratione dominica & decem præceptis, breui nec ſcrupuloſa expoſitione hæc declarauimus, ut quid credendum, orandum, & faciendum ſit, puericia compendio & abſq; moleſtia percipiat.

Expoſitio Symboli.

IMNEM accedentẽ ad Deum, oportet credere, hoc eſt, fidem & fiduciam habere. nã ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, & ut D. Iacobus docet, nihil hæſitantes & ſine diffidentia Deum orare debemus. Qui enim Deum eſſe non credit, quomodo illi fidet? Qui uero eſſe illum ſibi perſuaſit, nec tamẽ illi fidere audet, nondum quid Deus ſit, intellexit. Porro utrunq; ſumma diligentia & mature inſtillari debet animis omnium Chriſtianorum, & præcipue puerorum, quod cum in ſymbolo pauciſſimis uerbis exprimatur, rẽ ſalutarẽ & Chriſtianę puericię ſummopere neceſſariam fecerit, qui catholicæ fidei articulos compendio perſtrictos, ea claritate explicuerit, ut rudibus etiam pueris, ſed tamen ad Chriſti corpus pertinentibus fiant perſpicui. Vehementer autem probandum eſt, quod parentes quidam liberorũ ſuorum animos & linguas ſimul atq; loqui cœperint, his rebus occupant, quæ ad fidem ad modũ orandi, & rationẽ uiuẽdi ſpectant. Quãuis enim nondũ ſatis intelligant ea quæ ſonant, tamẽ poſtea multo facilius omnia perſpicient. Qui igitur uerbotenus Catholicæ fidei elementa didicerunt, ubi iam uſu rationis pollere occœperint, interrogãdi ſunt de fide ſua, & docendi,

di primũ quid cogitent aut ſentiãt quoties dicunt: CREDO IN DEVM PATREM OMNIPOTENTEM CREATOREM COELI ET TERRAE. Si non exacte reſponderint, luculenta, minimeq; ſpinoſa interpretatione expediendi et erudiendi ſunt, ut quod ore ſonant, mente intelligant, & corde credant. Eſt igitur iſte ſenſus: Cum in rebus humanis tantam experiamur fragilitatem inconſtantiã, & fallaciam naturali inſtinctu, quem in Ethnicis quoq; Philoſophis multũ ualuiſſe Apoſtolus docet, quærere cogimur aliquẽ, cuius potentia protegamur, & bonitate adiuuemur, præſertim cum omnibus perſpectum ſit, homines ad ea quæ ſibi neceſſaria ſunt, per ſe non ſufficere. Hic etſi ratio hũa longi tẽporis uſu & animaduerſiõe ex rebus cõditis unũ eſſe deũ et nõ plures ~~dei~~ cõphẽderit, tñ nos ſola ſacrarũ literarũ authoritas mouere deberet, ut ab uno peterẽus omnia: quẽ cũ patrẽ dicimus, filij dei authorẽ nũcupamus, cuius ſolius reſpectu hic natura pater dicit: quãq; nihil uetat, eũ omniũ piorũ parentẽ uocari, quos nõ ſubſtãtię pares, ſed imagine quadã ſimiles, per bonã ſuam uoluntatem genuit, & in numerũ filiorũ cooptauit. qui idẽ omnia poſſe creditur, ne cũ tã multa in ſcripturis rationem ſuperãtia promiſerit, ei diffidamus, præcipue cũ cœlum & terram, & omnia quę in eis ſunt, illius opificiũ eſſe fatean-r. Quare nos prius fide illuminati, ac deinde cõſpecta tã admirabili totius orbis fabrica, cõditoris omnipotentiã cõſideramus, rurſũ ex illa deitatem colligimus: qua cõſtituta & credita, in omnibus ei fidẽ adhibemus, cui Chriſtũ dñm noſtrum æqualem cõfitemur, deitate, potẽtia, & creatione: ſed ad diſcrimẽ perſonarũ, nõ ad deitatis diuiſionẽ, addimus nos credere ET IN IESVM CHRISTVM FILIVM EIVS VNICVM, DOMINVM NOSTRVM. Vnus enim dũtaxat Dei patris filius eſt ſecundum ſubſtãtiam, qui ſemper a patre perfectus gignitur, a patre non diſcedens, quẽ ſacra ſcriptura plerũq; dñm uocat ſicut patrem Deũ: nõ quod pater dñs nõ ſit, aut filius Deus nõ ſit, ſed quod hũc morem non abſq; ſingulari cauſa ſacrę literæ obſeruẽt. filius enim ſecũ dũ humanã naturã dñs nũcupatur, quatenus pater illius pedibus ſubiecit oĩa, et oñe iudiciũ illi detulit, noſter aũt dñs eſt ſi nos illius iuſſis obedire uolumus, q̃ties p̃cipiendo loquitur, Ego autem dico uobis. unde et diſcipulis ſuis dixit: Vocatis me magiſter, et bene facitis, ſum etenim

Hoc

Hic est qui e cœlis Deus descendens, assumpta humana natura, nobis appropinquare dignatus est. QVI CONCEPTVS EST DE SPIRITV SANCTO, NATVS EX MARIA VIRGINE, Nam patrem in terris non habuit, sicut nec matrem in cœlis. Sed hoc est, quod purissimæ uirgini angelus nunciauit: Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi. Cum autem natũ legimus, uerum hominem factum credimus, ex anima & corpore cõstitutum, sicut & nos, ut haberet in quo pœnam nostris sceleribus commeritam penderet, & homines noxios homo innocens redimeret. atq; ideo est PASSVS SVB PONTIO PILATO, CRVCIFIXVS, MORTVVS, ET SEPVLTVS, quia uerum hominis corpus diuinitati adglutinarat. etiam uere passus est. Ad certitudinem autem rei gestæ, eius nomen sub quo passus est, exprimitur: neq; simplici genere supplicij affectus est, sed ad crucis pœnam ignominiosissimã, nec minus acerbam, adactus est, & interemptus, necnon in sepulchrum, quod Aremathiensis uir pius & nobilis, in saxo solido excidi curarat, depositus: animi uero per mortem a corpore separata, DESCENDIT AD INFERNA, locum uidelicet, in quo tanquam in umbrà mortis detinebantur animæ sanctorum, qui ab initio mundi usq; ad illud tempus obierant, expectantes aduentum Messiæ, qui cœlum propter peccata primorum parentum diu clausum, sua morte recluderet, & exules in patriam cœlestem glorioſus uictor reduceret. Hinc articulo priore epistola sua testimonium perhibet Petrus Apostolus, ubi ait, quod Christus mortificatus fuerit carne, uiuificatus autem spiritu: in quo & ueniens prædicarit his qui in carcere erant. Verum TERTIA DIE RESVRREXIT A MORTVIS. Idque iuxta typum qui in Iona præcesserat, & secundum Prophetiam Dauid, q̃ sub persona Christi loquutus est: Non derelinques in inferno animam meam, neq; dabis sanctum tuum uidere corruptionem. Alioqui quod ad Dauid attinet, caro eius corrupta est. Cæterum Christi corpus antequam corrumpi potuit, integrũ & immortale reuixit. Itaque resumpto corpore ASCENDIT AD COELOS, exemplo suo nos de resurrectione nostræ carnis, & cœli hæreditate certos faciens, ut quemadmodum ipse resurrexit, ita & nos resurgamus, & cum Christo, si quidem cum illo patimur, etiam in cœlis

regnę

gnemus, qui dicente ſcriptura, etiam cœlis excelſior factus eſt, cui datum eſt nomen ſuper omne nomen, quod nominatur in cœlo aut in terra. ad quam potentiam deſignandam, additur: SEDET AD DEXTERAM DEI PATRIS OMNIPOTENTIS. Seſſionem hoc loco non ſitum corporis interpretari oportet, ſed requiem quandam ineffabilem, quam legatione obita in terris, poſt acerrimos cruciatus & labores, obediẽs factus patri ſuo uſq; ad mortem adeptus eſt. Alioqui quomodo Deo patri dexteram attribuemus, qui in ſubſtantia ſua ſimpliciſſimus eſt, & incorporeus? Sed ita ſcriptura linguam ſuam noſtræ tarditati attemperat. Sedere enim ad dexteram, hic nihil aliud eſt, quam parem cum Deo patre maieſtatem & potentiam obtinere. Nam Stephanus filium hominis ſtantem uidit, hoc eſt, ad ſubueniendum ſuis ſemper paratum. Sibi igitur ſedet, nobis periclitantibus ſtat, cui cœlum ſedes eſt, & terra ſcabellum pedum eius, in terra enim perpetuo habet, quibus opituletur aut iraſcatur. In cœlis uero ubi nullus eſt defectus, aut rebellio, ſemper ſedet, ſed tñ præfinito tempore INDE VENTVRVS EST IVDICARE VIVOS ET MORTVOS: idq; in maieſtate cũ angelis ſuis, uindex formidabilis impijs, optabilis autem iudex pijs, qui tum ſtabunt in magna conſtantia aduerſus ſuos perſecutores. Iudicabit autem non modo mortuos, hoc eſt, qui ſemel uita defuncti, ad tubam angelicam reuixerint, uerumetiam eos, quos dies ille iudicij adhuc in uita & carne nondũ depoſita, ſuperſtites inuenerit. De quibus, admixta perſona ſua, Apoſtolus loquitur: Nos, inquiens, qui uiuimus, & qui reſidui ſumus, ſimul cum illis rapiemur in nubibus obuiam Chriſto. Hactenus de duabus perſonis, patre & filio, locuti ſumus, ſupereſt ut Chriſtianus dicat etiam: CREDO IN SPIRITVM SANCTVM. Quæ uocabula & ſi patri & filio cõmunia ſunt, uterq; enim ſpiritus eſt & ſanctus, tamen tertiæ perſonæ peculiariter attribuuntur, quam cum a patre filioq; procedentem dicimus, ab utroque perſonarum reſpectu ſecernimus. nam pater omnium ſimpliciter author eſt, a nullo factus, creatus, genitus, aut procedẽs, filius a patre duntaxat ſecũdum deitatem abq; initio genitus, ſpiritus ſanctus, ab utroq; procedens. Quo inſpirante ſancti patres locuti ſunt, & a quo Chriſti corpus eccleſia in membris ſuis uiuificatur, in quam tamen non

credimus,sed solũ dicimus credere nos,esse SANCTAM ECCLESIAM CATHOLICAM, hoc est,congregationem hominũ a deo sanctificatum,cui de scripturis & earum sensu credimus, tanquam testi minime fallaci. Huic propter communionem fidei & sacramentorum adiuncta est ingens multitudo malorum,quæ ecclesiæ quoque nomine comprehenditur, quoad anathemate separetur. Catholicam autem dicimus, ut eam a priuatis hæreticorũ & schismaticorum conuenticulis seiungamus. Cum uero Dauid dicat: Particeps sum domine omnium timentium te: ualde consolatur nos in afflictionibus, quoties animo contemplamur illam omnium,siue in terris,siue in cœlis sint, SANCTORVM COMMVNIONEM, quasi cõpagem membrorum in uno corpore cohærentium, quæ uicissim uires suas, & quicquid possunt,inter se communicant. Porro in hoc cœtu dunta xat credimus esse REMISSIONEM PECCATORVM, quam aut non impetraremus,aut certe frustra cõsequeremur,nisi resurgerẽt mortui, qemadmodũ id in priore ad Corint. pluribus docet Apost. Itaq; superest credere CARNIS RESVRRECTIONEM ET VITAM AETERNAM. Omnes quidem qui in monumentis sunt, audient uocẽ filij hominis,& resurgent,sed non omnes audituri sunt amabilem illam uocem: Venite benedicti patris mei, & possidete regnum quod uobis præparatum est a constitutione mundi. Vt tamen prodeamus in resurrectionem uitæ æternę,non autem in resurrectionem iudicij,largiatur nobis clementia Dei patris per meritum filij sui domini nostri Iesu Christi,citra cuius intercessionem non iustificabitur in conspectu eius omnis uiuens. AMEN.

Expositio Orationis dominicae.

POstquam autem credenda didicimus, reliquum est, ut a seruatore nostro formulam precationis mutuemur, quã ille suis discipulis postulantibus, & per illos nobis omnibus præscripsit,ac dicere iussit: PATER NOSTER qui es

QVI ES IN COELIS, eo quod non datus sit nobis spiritus seruitutis iterum in timorē, sed spiritus adoptionis, in quo clamamus: Abba pater. Quoties autem immensum illud numē, quo neq; maius, neq; melius quicquam est, patrem appellamus: videndum nobis erit, quam morigeri filij simus. Nostrum autē dicimus, quia cōmunis est omniū, quem priuatim nemo sibi arrogare debet, qui etsi ubique est, tamen in cœlis ideo esse dicitur, quod ibi omnia diuinæ uoluntati obediāt: quod in terra non fit, sed tamen ut fiat, illi supplicamus, ac dicimus: SANCTIFICETVR NOMEN TVVM. Quod gentes ignorant, hęretici obscurant, & male uiuentes catholici traducunt & infamant. Sanctificabitur autem, si passim omnes cognoscant ipsum esse uerum Deū & quem misit, Iesum Christum, non in alium credentes aut confidentes, sed illum adorantes, & ab illo omnia petentes. Cum uero per incredulos & impios tantam tyrannidem in rebus humanis satanas exerceat, cuius instinctu passim claritas diuini nominis supprimitur, orare pergimus: ADVENIAT REGNVM TVVM. Deo enim in cordibus nostris regnante, euanescit regnum diaboli, quod solis carnalibus desideriis & infidelitate potens est: sed impetum spiritus diuini nos gubernantis, non sustinet. Quare per adueniens hoc regnum Dei euadimus regnum diaboli, & appropinquamus regno cœlesti, cuius acceleration em quoque his uerbis petimus, quando tamen ex nobis, quid petendum sit, ignoramus, omnia diuino committentes arbitrio, adiungimus: FIAT VOLVNTAS TVA SICVT IN COELO ET IN TERRA. Voluntas nostra sæpe appetit noxia, Deus uero, quod etiam gentes intellexerunt, optima quæq; pro iucundis dat, cui homo charior est, quam sibi: in cœlo autem diuinæ maiestati omnia parent. Cæterum in terra carnales & animo corrupti homines in manibus consilij sui constituti, sæpius ad ignem comburentem quam ad aquam reficientem, manum extendunt. Deus aūt, qui pro immensa sua bonitate malos tolerat ad pœnitentiam, & dignatur irrigare agros iustorum & iniustorum: cuius natura est, benefacere, nouit fragilitatem nostram: & sciens quibus opus habemus, aperit manum suam, & implet omne animal benedictione. Verum

nos de craſtino uetuit eſſe ſollicitos. Ideoq; ſic orare præcepit: PANEM NOSTRVM QVOTIDIANVM DA NOBIS HODIE. Quum panem ſolum audimus, ſuperfluas & exquiſitas delicias interdictas eſſe intelligimus. Quia uero non in ſolo pane uiuit homo, eadem opera quicquid ad totius hominis conſeruationem & ſalutem conducit, petimus: uidelicet, uerbo Dei ſaginari, fide mentem illuminari, affectum charitate accendi, totos nos pane cœleſti, qui in cœna domini apponitur, refici & uiuificari. ſed huius panis qui ſalubriter cupit eſſe particeps, prius ex animo dicat: DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, SICVT ET NOS DIMITTIMVS DEBITORIBVS NOSTRIS. Alioqui priusq̃ homo de hoc pane manducet, uadat pedibus cordis potius quam corporis, & non modo reconcilietur fratri ſuo quẽ forte offẽdit, ſed etiam recõciliet ſibi eum a quo offenſus eſt, in gratiam Dei omnia illi condonans. ita fiet ut talis in fratrem miſericordia, Deum ad miſericordiam prouocet. nam hac lege Deus, & non aliter, nobis peccata remittit. qui uero ſuorum admiſſorũ ueniam adeptus, iacere deſiit in cœno uitiorum, & iam erectus ſtat, ſolicite prouideat ne cadat, quod quia uiribus ſuis non poteſt, ad Deum omnia in omnibus operantem confugiat, eiq; dicat: Domine, dirige in uia tua greſſus noſtros, ET NE NOS INDVCAS IN TENTATIONEM, hoc eſt, ne nos ad malum induci ſinas. Deus enim intentator malorum eſt, neq; quenquam ad faciendũ mala ſolicitat. tñ aliquot ies ſuæ legis deſertores auxilio ſuo deſtituit, neq; a malo & errore reuocat, ſed eos animo ſuo relinquit, ut faciant quæ non conueniunt: illis autẽ propitius eſt, de quibus dicit: Viſitabo in uirga iniqtates eorũ & in uerberibus peccata eorum, miſericordiam aũt meam non diſpergam ab eis, neq; nocebo in ueritate mea. Bonũ eſt enim corripi a dño, ne cum impœnitẽtibus pereamus. Periremus uero, ſi carnis operibus illaqueati, ad purioris uitæ auram, dño diſſimulante, nunquam reuerteremur, mundi uidelicet ſucceſſibus (ut fit) deliniti. Quare dicamus domino, ne permittas nos damnari ſupra id quod poſſumus, SED LIBERA NOS A MALO peccati & mortis æternę: ſiquidem hoc ſolum eſt metuendũ, ne dñetur peccatũ in mortali corpore noſtro. Quod ne fiat, ꝑſtabit immortalis Dei gratia ꝑ Chriſtũ Ieſũ, dominũ noſtrũ.

Expo-

Expoſitio Salutationis ANGELICAE.

VIA uero ſanctiſſimam carnem ſuam, quæ pro mundi totius uita immolata eſt, Chriſtus Ieſus ſumpſit de carne puriſſimæ uirginis Mariæ, quam ſibi in matrem ſanctificauit: ideo illam, cui Deus tantum honoris habuit, & quam nunc cum corpore & anima in dilecta ſua tabernacula glorioſe recepit, decentiſſimè cum angelo ſalutamus, dicentes: AVE MARIA GRATIA PLENA. Sic enim Deum in illa laudamus, quam gratia & miſericordia ſua repleuit. Diuini enim fauoris eſt, quod citra originalem labem concepta eſt, quod Deum & hominẽ de ſuo corpore genuit, & quod ſine peccato inculpata uixit: quę res homini impoſſibilis eſt, niſi Deus ſit cum illo. Vnde & angelus ei dixit: DOMINVS TECVM, BENEDICTA TV IN MVLIERIBVS. Inter quas uirgo mater ſingulariter eminet, quæ Meſſiam orbis redemptorẽ, uirginitatis gloria permanẽte, ędidit, utroq; modo præſtans, & pariendi conditione, & prolis quã pepe rit excellentia. ob hoc enim dicimus: ET BENEDICTVS FRVCTVS VENTRIS TVI IESVS CHRISTVS, qui matrem ſuam ſibi ſacrauit, eique omnis gratiæ & ſanctitatis autor extitit. Vnde in illum tanquam in fontem referimus, quicquid excellens & laudabile in uirgine matre reperimus. Cuius ſanctiſſimæ uirginis interuenientibus precibus Deum oramus, ut & ipſi pariter Chriſtum ſeruatorem noſtrum intimis animorũ præcordijs concipere, & ſemel conceptum nunquam amittere ualeamus. AMEN.

Expoſitio Decalogi.

PRAECEPTA PRIORIS TABVLAE.

EGO SVM DOMINVS TVVS.

ON HABEBIS DEOS ALIENOS CORAM ME: NON FACIES TIBI SCVLPTILE, VT ADORES ILLVD. Solus Deus uere est, qui dei, quasi interrogatus quid esset, respondit: Ego sum qui sum. Cætera omnia in nihilum redire necesse est, si minum diuinæ suæ uirtutis subtrahat. Quod autem populo Israel dicit, se esse dominum & Deum illius, non tam se timeri & coli, q̃ timendum ut dominũ, & colendũ ut deũ significat. Quia uero terrena moles & habitatio deprimit animam hominis, alioqui multa subtiliter, & recte cogitaturum, ita ut Deum a sensibus corporis remotissimum, non ut oportet, aspiciat, cognoscat, & uenereturr: Ideo ante oculos præceptum ponitur, quo unum Deum habendum & adorandum esse cognoscimus. qui eo quod spiritus sit, non tam corporeis gestibus quam spiritu colẽdus est. Deum uero is colit, qui ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima & uiribus suis, eius uolũtati per mandata expresse obsequi studet, anima uitam & uires suggerit, mens intelligit, in corde affectus sunt. Omnem ergo uitam nostram, eiusq; actiones, omnes uires, omnem affectum, & totum intellectum, eo destinare debemus, ut Deo p̃ oĩa placeamus, eiusq; uoluntati in singulis & omnibus morẽ geramus. Hoc modo fiet, ut Deus uicissim diligat nos. Igiturq; scire cupit, quid sit Deum diligere, quod tam intricate & moleste a nonnullis inuoluitur uerius, quam explicatur: dilucidissimam seruatoris nostri doctrinam audiat, & internis auribus percipiat. Sic enim loquitur: Qui diligit me, sermonem meum seruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus: de Deo enim non tam quid sit, quam quid a nõbis fieri uelit, intelligimus. Proinde si filio uocanti auscultamus, de quo pater dixit: Ipsum audite: uere Deum diligimus, & adoramus, cui quicquid præterea per nos anteponitur, pro Deo colitur: sic pecunia auaris, uoluptas libidinosis, mũdana gloria ambitiosis, crapula & uenter gulosis deus est. Reperti sunt, qui ligna & lapides adorarent. contra quos hic legimus, Non facies tibi sculptile ut adores illud. Alioqui si quis picturis & statuis hoc animo uteretur, quo

literis,

literis, libris, et alijs signis utimur, nigil peccaret. Ossa quoq; sanctorum si in eum finem seruantur, ut horum aspectu recordemur sanctissimos mores ipsorum, idq; ad imitationem, nihil periculi aut piaculi est. Imo rem Deo gratam, nobis utilem, facimus. Quamuis quis sustineret ossa sanctorum contemnere, si cogitaret illa in antiquam corporis compagem aliquando reditura, & cum Christo sine fine gaudijs interfutura cœlestibus, si Deus illa custodit, ut non conterantur & pereant? Qua fronte nos ea aspernamur, quasi Deo curæ non sint? Christus fimbriæ attactu sanauit hominem, Apostoli umbra corporis sui contulerunt sanitatem. sed Christo non tam est coniuncta uestis sui corporis, aut umbra corporũ Apostolicorum, quam sunt ossa & carnes sanctorum; Id quod multis miraculis ad sepulchra martyrum olim declaratum est. Quibus tamẽ nõ debetur adoratio, sed ueneratio: quæ tunc ad summum prouecta est, quando ea in sanctis imitamur, per quæ ipsi Deo placuerunt.

NON ASSVMES NOMEN DEI tui in uanum.

OMnino Dei nomen aliquando tempestiue & reuerenter in iuramentis usurpari potest, præsertim cum, teste Augustino, honorem exhibemus illi, p cuius nomen iuramus. iam incidit necessitas aliquoties, ut per nomen dei iurandum sit, & experiamur uerum esse, quod in epistola ad Hebræos legimus: Omnis controuersiæ finem esse iuramentum: ibi non, nisi tentatis omnibus, ad maiestatem diuini nominis ueniendum est, & imitandus Apostolus, qui summa cum reuerentia iurat: Testis est, inquiens, mihi dominus, quod nõ mentior. Et liber Deuteronomij hanc in iurando religionem antiquis præcepit his uerbis, Dominũ deum tuũ timebis, & per nomen eius iurabis.

Aliquanto

Aliquanto planius Hieremias capite iiij. Iurabis, inquit, uiuit dominus in ueritate, in iudicio & iuſticia. Veritas cauſa debet eſſe iuramenti, & adhibendum eſt iudicium, an neceſſe ſit & expediat. demum iuſtum & graue negocium ſit oportet, quod põdus diuini nominis requirat. Hic quo pacto ſe excuſabunt, qui mala cõſuetudine ducti, tertio quoq; uerbo adorandum Dei nomen admiſcent, quaſi ludant in nomenclatura rei deridiculæ? Poſtquam ergo iurare eſt Deum teſtem inuocare, adq; iurant, qui Dei teſtimonio non egent? niſi cum fratris diffidentia, aut infirmitas in ardua cauſa huc impellit, uidelicet cũ per Eſt Eſt, & Non Non, nihil expedimus: tum enim quod ultra addimus, non tam a malo noſtro eſt, qui iuramus, quam eorum qui iuramentum exigunt. Iſti uero qui ſacras ſcripturas ſub nomine dei proditas, in ſenſum friuolum, prophanum, aut obſcœnum detorquent, animi gratia iocantes, id quod hodie frequentiſſimũ eſt: dici uix poteſt, quãto cũ peccato cõmictum ſit. nam iſti qui mendacijs ſuis authoritatem & nomen Dei pretexunt ad illaqueandum animos ſimplicum, proprio iudicio condemnati ſunt. Recte aſſumit nomen Dei, qui illi gratias agit, eius uirtutem extollit, ipſum inuocat, & ipſius opera in mundo prædicat, iuxta uerſiculum pſalmi: Confitemini domino, & inuocate nomen eius, annunciate inter gentes opera eius. In aduerſis quoq;, quicquid arcano Dei iudicio obiectum eſt, grata manu ſumendũ, nec laudes diuini nominis tacendæ ſunt, ſed dicendum cum Iob: Sicut domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen domini benedictum.

MEMENTO VT DIEM SABBATI ſanctifices,

SABBATVM, quietem Iudæis ſonat, quibus multis de cauſis præceptum eſt, ſeptimo quoque die ab omni opere ſeruili abſtinere, ut uel hac faciendi cõſuetudine a cæteris nationibus Deũ non habentibus, ſecerni poſſent, imitãtes in hoc Deum authorem omnium, qui ſex diebus fecit cœlum & terram, & mare, & omnia quę in eis ſunt, & ſeptimo die requieuit. uel ut hoc modo reminiſcerẽtur grande illud

de illud Dei beneficium, quo e durissima seruitute Aegyptia potẽter erepti erant. uel ut hac occasione corporalibus operibus interdictis, spiritualia meditari & exercere consuescerent. Et hęc causa festorum institutorum adhuc apud Christianos superest, quibus ideo opus nõ malum certis temporibus ab ecclesia interdicitur, ut melius fiat: nam male facere nunquam licet, neq; valet ad defensionem si dicatur: die dominico uestem sarcire, aut texere tolerabilius est, quam comessari aut aleã ludere: siquidem eadem opera dicerent, uestem eripere minus malum est, quam uitam: & tamen oportet hoc non facere, & illud omittere. Porro in causis pijs & necessarijs ipse dominus laxauit præceptũ, cum negat hominem factum propter sabbatum, sed contra, potius sabbatũ propter hominem. Christianis uero ad hoc conducunt feriæ, ut uerbũ Dei audire, sacris contemplationibus & precibus animos intendere uacet, & animo repetere potẽtem bonitatem Seruatoris nostri, qua nos e seruitute diabolica exemit, & in libertatem spiritus asseruit. Vere pij tamen & perfecti, qui absq; distractione domino adhærent, scientes hominem non magis ab uno, quam ab altero die sanctificari, sed omne tempus pijs operibus consecrari oportere, semper agunt sabbatum, quiescentes agere peruerse, & operantes bonum ad omnes, certi quod suo tempore messuri sint, non deficientes, quum sabbatum illud uenerit, in quo cessabit omnis labor, molestia, & dolor, & copiosa merces glorioſi fructus, & æterna præmia apparebunt. Hactenus de omnibus prioris tabulæ præceptis locuti sumus: quæ cum tria numero sint, non ambigue mysterium sacræ triadis innuunt, simul & absolutum unius ueri Dei cultum proponunt, cuius bonitatem corde diligere, nomen & doctrinam ore profiteri, & uoluntatem opere testari debemus, nec habet in nobis Dei adoratio, quo ultra progrediatur. nam quicqd in posteriori tabula continetur, huic priori simile est, ut dicitur Marci xij. Dilectio enim proximi ex charitate Dei ortum habet, sicut ex fonte riuus promanat: quo suppresso, iste deficit, & q̃ subscatente, iste profluit. Quid autem tam recipit naturam fontis, quam aqua quæ inde profluxit? aut quid charitatem Dei tam arguit, aut ei tam simile est, q̃ dilectio proximi, qui ad imaginem & similitudinem Dei factus est?

Præcepta posterioris Tabulæ.

HONORA PATREM ET MATREM TVam, ut sis longæuus super terram.

Secundum Deum summus honor parentibus debetur, qui nobis uitæ huius iuxta carnem autores sunt. quod si etiam horum solicitudine & institutione factum est, ut permanserimus in fide & dilectione, tum etiam, ut parentibus spiritualibus honorem deferemus. Cum uero honorem audis, ne putes solum intelligi uulgarem istam ciuilitatem, qua decedimus, assurgimus, aut caput detegimus: sed potius subsidium, beneficentiam, & in omnibus quæ pietati non repugnant, alacrem obedientiam. sic ab Apostolo dictum est: Presbyteri qui bene præsunt, duplici honore digni sunt. honor enim hoc loco premium & munificentiam significat: de huiusmodi honore parentibus negato Christus Marci septimo loquitur, expostulans cum Pharisæis, qui parentibus dari interpretabantur, quicquid sub Dei titulo sacerdotibus offerretur in templo. Ab hoc uitio non procul absunt, qui Christianos parentes in anima aut corpore afflictos & inopes, sub prætextu religionis deserunt, ipso facto damnantes sanctissimum opus Thobiæ iunioris, qui manuum suarum labore parentem senem & cæcum aluit. Obedientiæ exemplum in Christo habemus, qui patri (uel nutricio uerius) & matri obediens fuit. Quatenus autem uoluntati parentum morigerandus sit, Apostolus compendio docet, cum addit, in domino. scribit enim in epistola ad Ephesios: Filij obedite parentibus uestris in domino. Qui ergo in his sequitur parentum imperium, quæ aduersantur sacræ doctrinæ, non obsequitur in domino, sed cõtra dominum: quod uero plerique ad hoc præceptum referunt, quicquid usquam in scripturis extat de honoribus & obedientia quam debemus seculari magistratui,

tui,ſpiritualibus propoſitis,paſtoribus,pædagogis,denicq; ſanctæ matri eccleſiæ : non eſt improbandum tanquam intempeſtiuum, & peruim huic loco ingeſtum,cum maxime cohæreant inter ſe iſta duo : hominem eſſe,& bene eſſe.ut enim boni eſſe nõ poſſumus, niſi prius opera parentum in numero mortalium ſimus, ita quoq; non multum refert,nos in hanc lucem prorepſiſſe, niſi poſtea bonos & Deo acceptos eſſe hominũ pio ſtudio & inſtitutione contingat. Si pñ ſunt quos deus poſuit ſuper capita noſtra,Deum in illis honoremus: ſi impñ & poteſtate abutentes,illos propter deum toleremus,poteſtati honorem habentes,poſteaquam ſcriptura dicit: Omnem poteſtatem a Deo eſſe,& Petrus præcipiat obediendum eſſe præpoſitis etiam dyſcolis. Per hoc enim modeſtia & manſuetudo noſtra nota fit omnibus hominibus. Quod ſi eo progreſſa fuerit præpoſitorum improbitas,ut Chriſto contraria exigat: expediet cũ Petro dicere,Obedire oportet deo magis,q̃ hominibus. Quanquam hic quoq; conuenit meminiſſe lenitatis Chriſtianæ,quæ inimicis etiam ſitientibus et eſurientibus, potum cibumq; ſubminiſtrat. Præcipue uero filij parentibus,quantumuis pietatem auerſantibus,& ad mala prouocantibus,modo poſſint opitulari, ſubſidium corporale indigentibus,ſuppeditabunt : tantum, ne in malis ipſorum operibus communicent. Hæc eſt illa pietas in parentem, ab omni parte integra & perfecta,cui longa uita promittitur in terra,ſiue iſta morientium,ſiue illa,quam Dauid uidere deſiderauit,uiuentium.

NON OCCIDES.

Ongiſſime nos ab homicidio abeſſe uoluit,qui proximo ſaltem iraſci uetuit, imo hoſtibus benefacere iuſſit. Quando uero occidet qui nec læſus iraſcitur & iniuria affectus, ſtudet inimicum beneficijs obruere? Quamobrem ſi protinus iudicio obnoxius eſt,qui tacito animo fratri ſuccenſet, & ſi cauſa conſilio & multorum cognitione digna uidetur,quoties irã uoce aut geſtu declarauimus: denicq; ſi gehennæ incendium cõmeruit,qui contumelię

gratia fratrem appellauit, qua tandem pœna plectetur homicidium, quod probrosis uocibus & conuicijs multo est grauius? An tormenta sunt alia supra gehennæ cruciatus? Quid ergo sibi uult, quod cędes hominis ultra summum exaggeratur? nimirum ut uel sic intelligamus, quantopere charitatem nobis commendatam esse uoluerit, qui noua faciens omnia, affectũ ueteris Adæ, odium uidelicet, & fastidium et contemptum fratris, tantopere detestatus est, sublata antiquorum licentia, quibus propter duritiem cordis multa olim concessa sunt. In lege enim ueteri solum præcipitur diligendus proximus. de diligendo inimico nulla fit mẽtio, quin odio habẽdũ inimicũ in Leuitico subindicatur, Quod Seruator noster quasi expresse dictũ esset, apũ Mat. adiecit. Cæterum hoc loco ius naturæ, ad uim ui repellendam extimulantis, in tanto hominum semetipsos immodice amantium numero, defendere nihil attinet: neq; Christus gladium principibus ademit, aut leges exerceri, pœnasq; infligi a magistratibus prohibuit, qui apud Lucam factum Pilati, Galilæorum sanguinem cum sacrificijs ipsorum miscẽtis non damnauit. tantum simile pœnam pariter delinquentibus comminatus est. Illud magis refert admonere, contra hoc præceptum non leuiter eos peccare, q dissimulata necessitate alienæ uitæ aut famæ, quæ interdum ipsa uita charior est, cum possunt, non subueniunt. neq; illi ab homicidio excusari possunt, qui homines non impetentes, ob hoc tantum, quod a nostra religione alieni sunt, trucidant, aut cõcutiunt: imo ob hoc ipsum commoditate morum alliciendi erant, non diuexandi barbarice, aut in incredulitate crudeliter obtruncandi. Quibusdam uero œstro magis quam pietatis zelo percitis, uehementer religiosum uidetur, infidelibus acriter maledicere. Sed isti, ut apparet, non audiuerunt Apostolum præcipientem Tito, ut suos admoneat, ne de quoquã maledicant: ne sint pugnaces, sed humani, omnem exhibentes mansuetudinem erga omnes homines: & causam addit: Nam eramus, inquit, & nos quondam stulti, inobedientes, errantes, seruientes desideriis, & uoluptatibus uariis, in malitia & inuidia degentes. Quod si illi hoc facere debent, eo quod quondam errauerunt: quanto magis nos decebit ista lenitas, qui adhuc in malitia & flagitijs toti hæremus, ipsis frequenter Iudæis & Turcis quibus maledicimus & arma intentamus, deteriores?

ore. Bellum autem in quo tot milia hominum occiduntur, quam conueniat Christianis, secundo libro de uiduitate paucis ostendit D. Ambrosius. nec tantum operæ sumendū uidetur, ut doceamus licere quantum, ut demonstremus, qua ratione bellum liceat uitare.

NON MOECHABERIS.

ADulterium peccati magnitudine homicidio proximum est, quod lex uetus atroci supplicio puniebat: apud Christianos, ut nunc sunt mores hominum, cū risu excipitur, sed plura huius generis sunt impunita. Paululum pecuniæ furto sublatum, laqueo uindicatur: & legitimus torus impuro facinore uiolatus, nō habet uindicem, cum non minus interfit reipub. Christianæ inuiolata esse coniugia, q̄ tutam esse uicq̄ pecuniarum & similium rerum possessionem. Fornicatio etiā adulterij species est, dicente Apostolo: Qui fornicatur, in proprium corpus peccat. Mulier autem de uiri corpore sumpta est, & illi per naturam a Deo in uxorem destinata: qua quisquis extra matrimonium ad stuprum abutitur, in proprium corpus peccat dum hoc fornicariæ impenditur, quod uxori, quæ proprium uiri corpus est, debebatur. Et ob hanc causam potissimum scriptum est: Propter fornicationem autem unusquisq̄ habeat uxorem suā, & unaquæq̄ uirum suum: multo magis propter incestū & alia non nominanda flagitia: quamuis reperti sint, qui fornicationem lœtale peccatum esse negarent. Sed utriusq̄ testamenti præcepta reclamant. Dicit enim lex uetus: Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filijs Israel. Et diuus Paulus: Neq̄ scortatores, inquit, neq̄ adulteri, neq̄ molles, regnum Dei possidebunt. Christus fontem omnium actionum nostrarum, nempe cor, repurgare cupiens, dicit: Qui uiderit uxorem proximi sui ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Ad quod respiciens Hieronymus, exclamat: Veh nobis, inquiens, qui quoties concupiscimus, toties peccamus. Quare uitandæ sunt omnes immundæ & inordinatæ cogitationes, per quas omnem in nobis lasciuiam & libidinem præcipue accendi scripsit Chrysostomus. Vitanda quoq̄ sunt ocia & comessationes, temulentia, luxus, praua colloquia,

& aliæ occasiones impudicitiæ subseruientes. Plura turpitudinum genera, quibus uel in cõiugio, uel extra coniugiũ positi contaminari possũt, commemorari nõ est necesse, cum quilibet ex eo quod lex diuina permittit, scire possit quid prohibeat. Qui hoc præcepto spiritualem fornicationem, qua, Christo derelicto, animæ peccatis se prostituit, uetari aiunt, eodem colore huic loco peccata infarcirent, per quæ homines a Deo discedunt. De quibus Apostolus scribit: Despondi uos omnes uni uiro uirginem castam exhibere Christo.

NON FVRTVM FACIES.

FVrti nomine significatur omnis iniusta possessio, aut usurpatio rei alienę, quæ uel sacra est, uel prophana, priuata aut publica. Aggrauatur autem furti crimen ex uarijs circunstantijs. Non enim eodẽ modo peccat, qui rebus omnibus exuberanti aliqd adimit, & qui inopi rẽ necessariã eripit, præsertim si qui tollit alienum, ipse abundet, sic ut nulla necessitate coactus fecisse uideri possit. Nam his modis Nathan exaggerauit peccatum Dauid sub persona pauperis spoliati, & diuitis oppressoris. Quemadmodum si princeps profusus aut alioqui rapax, populum suũ quocunque titulo expilet, & pauperum sudore parta ad se rapiat, peccatum erit, quo uix aliud grauius. Et qui finitimis bella indicunt, non ob aliud, nisi quod illos opibus florentes uideant: non bellatores, sed prædones sunt: quales & illi, qui mercatores in itinere adoriũtur, quorum facinora quia copijs & factionibus plerunq; munita sunt, fere pœnam inter mortales effugiunt. Qui uero laborantibus mercedem maligne aut omnino non soluunt, Dei ultionem præsentem in se prouocant, ut testis est Iacobus Apostolus. Neq; multo lenius delinquunt infidi operarij opus prorogando, uel data opera corrupte faciendo. Validi mendicantes, publici fures sunt, quos ocium & panis alienus multa mala docent. Istis Christianus magistratus laborẽ dabit, procleemosyna, ne gratis manducent panem. Et fortassis de his sensit Apostolus cũ scriberet:

beret: Qui furabatur, iam nō furetur, magis autem operetur manibus, ut habeat non ſolum quo ipſe paſcatur, uerumetiam unde tribuat aliquid neceſſitatem patienti. Qui uero uitiatas merces pro integris, & infectas fruges aut uina, uel alia humanis corporibus neceſſaria diuendunt, quo lucri plus faciant, non fures ſolum, ſed nenefici quoque ſunt, modis omnibus coercendi, ne communitas damnum capiat. nam furunculi iſti, qui tāquam Pythagorici ęquo animo tollunt quicquid incuſtoditum offenderint, incauti pariter, & infortunati, cito dant pœnas legibus, quas olim neque lex Moſaica dictauit, neque Romana ſeueritas nouit: ſed tamen poſtea neceſſitas extorſit & inflixit, creſcente indies numero hominum, ſuam deſidiam & luxum alienis laboribns & operibus alentium. Auaros quoq; furti crimine alicubi ſententia Diui Hieronymi inuoluit, qui nec ipſi ſuis rebus utuntur, nec alios uti ſinūt, quum ad indigētes pertineat, quicquid noſtris uſibus ſupereſt: ſed hac ratione prodigo iuſtus furtum impingeretur, qui rebus ſuis abutitur. quod auaro obiici non poteſt, qui ut non utitur, ſic etiam non abutitur. Deinde profuſor præterquam quod multos ſecum corrumpit, nihil reliquum facit, quo quis recte uti poſſet, cum auarus multa aliquoties relinquat, quæ in pios uſus conuerti queant. Fuerunt autem qui furti occaſionem in totum tolli poſſe putarent, ſi inter Chriſtianos communia eſſent omnia. Sed iſti imaginati ſunt omnes probos, qui & in commune pro uiribus laborarent, & ad neceſſitatem modo rebus partis & in medio poſitis uterentur. Quod cum multo ſecus habeat, optari poteſt, commode fieri non poteſt. Cæterum qui eccleſiæ miniſtris cenſum aut decimas per fraudem ſubducūt, uel corrupta pro ſynceris, aut acciſa pro integris obtrudunt, Dei uoce apud Malachiam coarguuntur, & Apoſtoli ſententia damnantur, qui præcipiendo dicit: Cōmunicet is qui catechizatur, ei qui ſe catechizet, in omnibus bonis, & ut omnem impoſturam excluderet, protinus adiecit: Ne erretis, Deus non irridetur. Deum enim irrideri interpretatur, cum eccleſiæ miniſtri debito cenſu fraudantur. ſed ediuerſo qui bona eccleſiaſtica nequiter prodigunt, in officio ſuo negligentes, pauperum CHRISTI immemores, uino madidi, epulis diſtenti, libidinibus conſpurcati, in conſeruos duri, & inclementes, non facientes quod debent,

& quod

& quod non debetur, rigide exigentes, quam longe, non dicam a furto, sed a sacrilegio absint, ipsi uiderint. Certe non dissimiles sunt illi seruo, de quo est apud Lucam: qui absente domino cœpit edere & inebriari, & percutere conseruos suos: quem dominus reuersus disse cuit, & partem eius cum hypocritis posuit.

NON LOQVERIS CONTRA PROXIMUM TUŨ FALSUM TESTIMONIŨ.

Vdicia, in quibus de capite aut possessionibus agitur, magna ex parte pendent a testimonijs: quæ si mendacia sunt, causæ iustissimæ periclitantur: id ne fiat, hac lege Dei peculiariter cauetur. Crimen autẽ istud exaggeratur Prouerb. xxv. capite, quasi falso testimonio in iudicijs aliquẽ opprimere, perinde sit ac sagitta aut gladio, uel iaculo aliquem interficere. Sic enim ibi legimus iaculum, gladius, & sagitta acuta, homo qui loquitur cõtra proximum suum falsum testimonium. Nam quod iudex male pronũciat, quodq; huius sententiam alij perperam exequuntur, & quod innocẽs indigne patitur, falso testimonio imputandũ est, unde hęc omnia prodeunt. Pœna uero erat lapidatio, ut liquet Danielis xiij. & ut hanc euadat calumniator apud homines, tamen Dei manum non effugiet, referente scriptura: Testis falsus non erit impunitus. Et rursũ: Testis mendax peribit. Quis autem dubitet huic præcepto & illos aduersari, qui famam proximi apud alios mordent, similiter, & eos qui pronas obtrectatoribus aures accommodant? Addantur his qui serunt discordiã inter fratres, de quibus Sapies ait: Susurro & bilinguis maledictus erit. Multos enim turbauit pacem habentes. Etiam illi qui ex festuca trabẽ faciunt, leue malũ grauiter amplificantes, quibus hodie plenus est mundus, qui colant culicem in alijs, & uastum in seipsis camelum deglutiũt. Sed pulchre monet quodam in loco mãsuetudinis exemplum sanctus Bernardus: Si potes, inquit, excusa actionem: si non potes, excusa intentionem: si nec intentionem, excusa tentationem. Vide quot modis succurrendum putarit peccato aliquo occupatis uir mitissimus. In summa

prohi-

prohibetur omis sermo fratri noxius, & quod isto amplius est, a seruatore nostro, qui non uenit ut legem solueret, sed adimpleret, etiã quicquid non prodest, dum dicitur, quamnis nõ doceat, interdicitur. Omnis enim Christianorum sermo debet esse conditus in gratia salis & sapientiæ, ut possit ædificare proximum. Sic enim Apostolus: Si quis est, inquit, sermo bonus, is ex ore uestro procedat ad ædificationem, quoties opus est, ut det gratiam audiẽtibus. Consideremus autem quid sibi uelint hæc uerba: Quoties opus est. Videntur enim significare, bonis quoq; sermonibus peccari, si non opportune proferantur: adeo locorum, personarum et temporum ratio habenda est, ne sanctũ demus canibus, aut margaritas Euangelicas obiiciamus porcis, crapula & uinolentia madidis, iuxta illud Ecclesiastici: In conuiuijs uini non arguas proximum tuum. Non quod arguere malum sit, sed quod uino obrutos corripere, plane stultum & intempestiuum sit. Nam ad tales uerba facere, est cum absentibus loqui. Verum qui non delinquit in uerbo, hic perfectus est uir.

NON CONCVPISCES VXOREM PROXIMI TUI.

PECCANDI occulta uolũtas apud homines multa est, apud Deum nõ item, qui inspector est cordium, & ex uolũtate opera æstimat: neq; peccatum operi cui uoluntas defuit, imputat: nec male faciendi uoluntatem, cui opus defuit, a peccato immunem iudicat. Hoc præceptum sexto subseruit. Nam ut ibi actus adulterij prohibetur, ita hic eius perpetrandi desiderium constringitur: & recte distinguũtur maleficium & eius desiderium, cũ propter homines crassiores, tum propter ritum iudiciorum. Nam ut Deus in affectum maxime animaduertit, ita homines contra effectum magis aspiciunt, posteaq; cor & uoluntatem hominis inspicere nequeunt. Quam autẽ olim graue fuit Iudæos adulterium ipsa re committere, tam nunc Christianis criminosum est, effuso corde ad adulterium inhiare. Vnde et Propheta

equis himnientibus cõparat eos, qui hac cõcupiſcentia inflãmati ſunt, quos alterius Prophetę uerbis reuocare oporret, ne uelint fieri ſicut equus & mulus, in quibus non eſt intellectus: ſed uiribus rationis infitæ accerſitis, & auxilio D E I inuocato, fortiter prauis cupiditatibus reſiſtat, & paruulos etiamnum adulterandi & fornicandi affectus, in corde pullulãtes, ad petram, quæ Chriſtus eſt, allidant, ne mora firmati, & intimis animi uiſceribus concepti, pariant iniquitatem. Ex animo enim procedũt cogitationes malæ, cædes, adulteria, ſtupra, furta, falſa teſtimonia, conuitia: et hæc ſunt quæ impurant hominem, quæ non procederent in opus damnabile, niſi præceſſiſſent in male affecto corde. Quare, ſcriptura monente, omni cuſtodia cuſtodiendũ eſt cor, ne concupiſcat illicita. Sic enim non erumpent ex nobis facta nefaria, et carnis opera, de quibus prædixit apoſtolus: quod qui talia agũt, regnum Dei non poſſidebunt.

NON CONCVPISCES DOMVM PROXIMI tui, non agrum, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinũ, & uniuerſa quæ illius ſunt.

HOEcunda furti radix eſt, alienæ rei concupiſcentia: quam quiſquis in ſe mature extinxerit, ſeptimum præceptum coram Deo nunquam uiolabit, neq; enim fur aut plagiarius, aut abigeus erit, qui alterius domicilium aut agrum, ſeruum aut ancillam, bouem aut aſinum, & his ſimilia, non appetit. Achab dum nimis indulget cupiditati ſuæ, uiolento furto cruentum latrocinium coniunxit, audaciſſimæ uxoris conſilio adiutus, & re optata infeliciter potitus. Hoc præceptum cum ſuperiore, Euangelicam quandam puritatem præ ſe ferti corrigit enim affectum, & non modo hominem foris coercet, uerum etiam intus emendat: & radicem præcidit, unde malum pullulare poterat. Huius generis ſunt illa, quæ legi Moſaicæ plenius & expreſſius addidit Chriſtus, negans ſe uelle ſoluere, ſed arctius nobis aſtringere præce

præcepta de moribus, ne quo modo excidant, postquam cordibus impressa sunt. huc enim præcipue tendit Euangelica doctrina, ut affectu peccandi careamus: id quod Deus per spiritum filii sui largitur credentibus. & hac una ratione utcunq; distinguitur lex noua a ueteri, quod illa Dei digito in tabulis lapideis potius quam in affectibus plurimorũ scripta esset: hæc uero spiritu Dei uiuentis penitus impressa sit tabulis cordis carneis: & hunc spiritum eiusque inscriptionem qui non circunfert in corde suo, non est Christi. Quanquam et tempore legis antiquæ extiterint, quorum non manus solum a scelere, sed & animus ab eius perpetrandi cupiditate purus esset, qui quod tam multis præterea cæremoniarum obseruationibus onerati fuerunt, uere iugum graue & uix ferendũ sustinuerũt, totũ diem in æstu opus facientes, & aduersus sarcinam uehementer onerosam grauissime luctantes: a qua nos aduentus Christi Seruatoris liberauit, qui fulgore suo cæremoniarum nebulas discussit, & uetustorum rituum inuolucro reducto, clarum æternæ ueritatis lumen ostendit, quod sacramentorum institutione offuscatum non est, eo quod natura suapte sponte hominem ad sumptionem cibi potusque, & lotionem corporis impellat: quarum rerum usum humanæ naturæ necessarium Seruator noster etiam salutiferum nobis esse uoluit, mirabili modo corporalibus rebus spiritualem uirtutem infundens: cuius efficacia in animam penetraret, & utranque totius hominis partem salubriter reficeret. Quamobrem hoc fasce leuati, multo expeditiores gradimur per uiam Euangelici compendij, quam patres nostri per anfractus Mosaicos tot externis obseruationibus onerati, & prope supra uires grauati, quod in Actis Apostolorum Petrus dicere non dubitat. Nam qui maceriem antiquum populum a nouo dirimentem indicare cupiunt, eamque fabricantur ex diuersitate legis ad mores pertinentis, quod ea longe alia sit in nouo, quã fuerit in ueteri testamento, non satis se ab hac quæstione explicant. Præcipit Christus populo suo ut non amicos tantum, sed & inimicos diligant, atque etiam pro salute ipsorum orent. Perfectius quoque his apparet, quod Paulus optat anathema fieri pro fratribus suis Iudæis. Sed quid? an non hæc eadem in lege antiqua inueniũtur. Orat Aaron pro aduersarijs suis, quorum conspiratione contra se periclitatus erat.

Moſes deleri nomen ſuũ de libro uitæ prius habet, quam ſe incolumi rebellem alioqui turbam perire. Dauid prophetaſi inquit, reddidi retribuentibus mihi mala, merito decidam ab inimicis meis inanis. Vtiq; qui gloriatur apud Deum ſe non retuliſſe talionem inimicis ſuis, a quibus male mulctatus erat, etiam ſe a ſtudio reponẽdæ uindictæ oſtendit fuiſſe alienum. Quid? quod Deus apud prophetã clamat: Mihi uindicta, & ego retribuam. Quo dicto, quis dubitat ultionem, eiuſq; cupiditatem in totum ueteri populo interdictam. cui & Eſaias edixit, dicite, inquiens, his qui uos oderunt: Fratres noſtri eſtis. Quæ uerba nõ oretenus, ſed ex animo dicenda erant, ita ut in eos qui inimici facti fuerãt, tanquam in fratres adhuc fraternum affectũ gererent. Cũ ergo iſta ad hunc modum ſe habeant, quo tandem diſcrimine legem nouam ab antiqua ſecernent illi, quos uidemus nimiæ breuitatis ſtudio minus dicere, quam rei amplitudo poſtulat, qui dum multa paucis uolunt concludere, non pauca dictu neceſſaria excludunt, ueluti, quod aiunt, in noua animum, in ueteri lege manum duntaxat cohiberi: & hanc amoris, illi timoris eſſe: olim umbris & figuris omnia occupata fuiſſe, nunc lucem ſine umbris, & ueritatem ſine figuris exhiberi: olim lanceas & gladios uiguiſſe, at nunc Euangelij tempore lanceas in uomeres, & gladios in falces conflatos eſſe. Cum tamen & nunc bella gerant Chriſtiani non admodum infrequentius, neq; ita ualde mitius quam quõdam Iudæi, adeo, ut iam paſſim plures reperiri poſſint lanceæ, quã uomeres, & gladij, quã falces: quos ob frequentẽ uſum rubigo non audet inuadere, ita damus operam ut hæc prophetia pacifica aliquãdo cõpleatur. Adhæc ſub lege noua exercẽtur leges iudiciariæ, & pœna corporalis de maleficis ſumitur, in nonnullis acerbius etiam, quam ſub lege ueteri, ſicut & in alijs quibuſdam remiſſius. Tum quoq; Eccleſia propter infirmos, quorum magna multitudo eſt, non illibẽter retinet cæremonias aliq̃, quæ tamen magis admonent pietatis, quam pios faciunt. Deniq; & uetus lex multos habuit, quos non ſeruilis terror, quem perfecta charitas foras mittit, ſed caſtus timor Dñi, qui nihil a perfecta & uera charitate Dei differt, omnem docuit adimplere iuſticiam. Quemadmodum ediuerſo complures tollerat Eccleſia Chriſti imbecilles, q̃ ſub lege adhuc rãq̃ ſub pędagogoſũt, q̃ necdũ libertatẽ ſpũs hauſerũt, neq; ad Chriſtũ deducti ſũt, ut ex fide p̃ dilectionẽ oñe q̃d bonũ ẽ operãte, iuſtificẽtur.

Qua-

Quapropter & in populo Iudęorum euangelicæ perfectiõis uestigia conſpiciuntur: & contra in populo Chriſtianorum magna ac pene Iudaica tarditas reſidet. Certe hoc nos a Iudęis ſeparat, quod illi crediderunt in Meſſiam qui uẽturus erat, nos in eũ qui uenit: illi Prophetias habebant inchoatas, nos eas tenemus abſolutas. Hoc porro reſtat, ut non ſimus ſub lege, ſed ſupra legem, nec eam habeamus aduerſum nos, ſed pro nobis, hoc eſt a Moſe, ad Chriſtum tranſeamus, quo fic ex lege quæ ratione noſtræ carnis & imbecillitatis ad iuſtificandum nos infirma eſt, per Chriſtum ſalutem conſequamur: in quo qui ſperat, non pudefiet: de cuius plenitudine omnes qui ſeruantur, accipiunt: per quem & nos mundari oportet ab omni inquinamẽto carnis & ſpiritus, ſi modo perficiemus ſanctitatem in timore Dei: alioqui fieri nõ poteſt, ut homo ab adoleſcentia ſua ad malum pronus, hanc integritatẽ prętet, ut nec facto lædat, nec ſermone offendat, neq; affectu delinquat: & tamen huiuſmodi lex, in decẽ fita mandatis, exigit, à quorum obſeruatione pendet aliquo modo ſalus hominis, cum Euangelium dicat: Si uis ad uitam ingredi, ſerua mandata. Quid igitur conſilij capiemus in his quę fieri oportet, nec tamen ad plenum a nobis fieri poſſunt: quandoquidem non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex uobis, tanq̃ ex nobis, ſed omnis ſufficiẽtia noſtra ex Deo eſt? nimirũ quod Iacobus Apoſtolus ſuadet ſequendum eſt, qui ſubmonet deum potentẽ eſſe, liberalẽ, & bonum, qui dat omnibus affluenter, neq; cuiquã exprobrat. Quare ſi quis eget ſapientia aut fortitudine, petat eam a Deo, in quo Paulus omnia poteſt: & nos cum illo in eodem omnia poterimus, ſi modo quã par eſt, fiduciã petierimus. Propinquus enim & benignus eſt dominus omnibus inuocantibus eum in ueritate. Quare cũ tota eccleſia dicamus illi: Fac domine amare quod præcipis, & exeqq̃d iniũgis: & q̃s tuo præcepto obligas, ĩſdem tua bonitate ſuccurras, ut incrementum fidei capientes, & in omni opere bono proficientes, occurramus in uirum perfectum, in menſuram plenitudinis Chriſti. Amen.

FINIS.

ERRATA SIC RESTITVES.

Prior numerus folium, litera a faciem primam, b. secundam, sequens numerus lineam in qua erratum est, designat. Folio 2. a. linea 10. pronitas. ibidē. lin. 28. lus. Fol. 3. a. 19. quem. Fol. 4. a. 1. manibus. b. 4. longissimi. Fol 6. a. 10. spiritualis. Fol. 6. a. 31. fauore. b 6. hac. ibid. 11. uia. ibid. 16. manu. Fol. 8. a. 29. ergo. b. 5. offerimus. Fol 9. b. 16. confusionem. Fol. 10. a. 4. obiecit. occultum. Fol. 12. a. 9 omnes. lin. 11. fructum. lin. 19. qui tamen ab Episcopo nō ordinabantur, sed a presb. Fol. 13. a. 1. lauare. Fol. 14. b. 17. re exhibita. lin. 19. patrū. lin. 32. tum. Fol. 15. 8. qui. lin. 30. officiis. Fol. 16. b. 7. uiris. lin. 8. ius. fol. 17. a. 9. illato. b. 2. præter. Fol. 18 b. 5. ab errore prę seruant. Chrysostomum dico & Augustinum. Fol. 19. a. 11. patimur. b. 6. precandi. Fol. 20. a 12. dei, superest. lin. 24. & domine b. 12. passus. lin. 22. Huic. Fol. 22. b. 31. tentari. Fol. 23. b. 1. dominus Deus tuus. lin. ult. statuis. fol. 24. b. 28. fertandi. fol. 25. a. 31. resipit. Fol. 26. b. 32. dece b. t. Fol. 27. b. 6. omnia peccata infarcirent. Fol. 28. a. 12. opibus. lin. 13. inuoluit. lin. 15. iustius Reliqua, si quæ sunt, pius Lector facile corriget.